P. J. Berthier

Sententiae

et

Exempla Biblica.

P. Anatolky
kat. r. y.

fra Rajmundo

[illegible]

SENTENTIÆ
ET
EXEMPLA BIBLICA

EX VETERE ET NOVO TESTAMENTO
EXCERPTA ET ORDINATA
AD USUM
Concionatorum, moderatorum animarum
et praesertim juniorum clericorum
seminariorumque alumnorum

A

P. J. Berthier, M. S.
Fundatore Congr. Missionariorum a S. Familia.

5a EDITIO.

GRAVIÆ (Hollandia)
TYPIS CONGR. A SANCTA FAMILIA.
GRENOBLE, Mlle. Fayollat, via Ponsard 4.

Imprimi potest servatis servandis.
GRAVIÆ, die 26. Iunii 1912

P. J. CARL,
(L. S.) Missionariorum a S. Familia
Superior Generalis.

Imprimatur.

J. POMPEN, VIC. GEN. BUSC.
BUSCODUCI, die 27. Iunii 1912.

PROOEMIUM.

Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius (Mal 2, 7). Porro scientia sacerdotis et lex, quam requirentibus exponere debet, sunt in Scriptura Sacra. In libris divinis congeruntur ea, quae tum propriæ sacerdotis sanctificationi, tum animarum saluti inserviunt. Si quaeris lucem, in paginis sacris invenies: *Praeceptum Domini lucidum; illuminans oculos* (Ps 18, 9). Si quaeris ardorem caritatis: *Lex Domini immaculata, convertens animas* (Ps 18, 8). *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via* (Lc 24, 32)? Si redigere *omnem intellectum in obsequium Christi* (2 Cor 10, 5) desideras: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (Rom 10, 17).

Peccatores induratos si a vitiis retrahere cupis: *Verba mea sunt quasi malleus conterens petram* (Ir 23, 29). Si ad tepidos refovendos insudas: *Verba mea sunt quasi ignis* (Ir 23, 29). Si zelo aemularis, ut is, *qui iustus est, iustificetur adhuc* (Apoc 22, 11): *Verba* Dei *spiritus et vita sunt* (Io

6, 64). Si erigendi sunt debiles, in Scriptura est *lac*, quod *potum dedit* Deus, *non escam* (1 Cor 3, 2). Si consolaturus es maestos, habes illorum *solatio sanctos libros* (1 Mach 12, 9).

Si elegantiam sectaris, memento huius: *Qui tantum verba sectatur, nihil habebit* (Prov 19, 7). *Formam* ergo *habe sanorum verborum, quæ audisti a* Spiritu Sancto (2 Tim 1, 13). Si virtutem et efficacitatem sermonis acquirere cupis, *vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti* (Heb 4, 12). Illo utens recte *tractabis verbum veritatis* (2 Tim 2, 15), *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis* (1 Cor 2, 4); *devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ* (1 Tim 6, 20); et habebis *verbum sanum, irreprehensibile: ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis* (Tit 2, 8). *Oves* Christi *vocem* eius *audient* (Io 10, 27); et duces eas ad pascua vitæ.

Si autem te convertas ad *profana et vaniloquia* (2 Tim 2, 16), et si *adulteres verbum Dei* (2 Cor 2, 17), tunc fiet maledictio ab Amos prædicta: *Mittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini* (Amos 8 11).

Parvuli petent panem, et non erit qui frangat eis (Ir Thren 4, 4). *A veritate auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* (2 Tim 4, 4).

Amplectere ergo *eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sis exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere* (Tit 1, 9). Scripturarum *attende lectioni et doctrinæ, insta in illis* (1 Tim 4, 13 16). Scripturam Sacram, verbis Hieronymi utor, die noctuque sic mente revolvas, ut tenenti codicem somnus obrepat, et cadentem faciem pagina sancta suscipiat (Ad Eustoch.). *Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt* (1 Tim 4, 16). *Omnis* quippe *Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* (2 Tim 3, 16 17).

Sed si te fugit omnia Biblia Sacra terendi et meditandi tempus, reperies in hoc opusculo, quasi in scrinio, Scripturæ nitidiores et lucidiores gemmas, quibus exornare mentem et verba tua poteris. *Accipe* ergo *librum, et devora illum: et in ore tuo erit dulce tamquam mel* (Apoc 10, 9). Si iunior es sacerdos, vel levita, *consilium*

meum placeat tibi (Dan 4, 24), commenda (et facile id poteris aliquot annis), commenda omnes hos textus memoriæ tuæ, et *conserva omnia verba hæc, conferens in corde* tuo (Lc 2, 19); et *bonus homo de bono thesauro cordis tui proferes bonum* (Lc 6, 45), *et providebis bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus* (2 Cor 8, 21).

Quapropter enixe obsecro *per viscera misericordiæ Dei nostri* (Lc 1, 78) venerabiles sacerdotes, qui iuniorum clericorum curam habent, ut in manus discipulorum hunc librum, vel alium illi similem committant, hortantes illos, ut verba divinæ sapientiæ addiscant et meditentur.

Rollin ipse, rector Universitatis Parisiensis, verba Scripturæ collegerat legemque sequentem condiderat: «Nos ergo, ut optimorum virorum desiderio et muneri nostro faciamus satis, ex consilio integerrimorum censorum præclaræ Facultatis Artium, hanc legem indicimus singulis collegiorum professoribus, ut in posterum selectas e Sacra Scriptura, præsertim ex Evangeliis, aliquot sententias quotidie discipulis memoriter ediscendas proponant, eisdemque divini illius libri, qui verba vitæ æternæ continet, quam maximam fieri potest, reverentiam inspirent.»

Sed *ad vos mandatum hoc, o sacerdotes* (Mal 2, 1), in verbo Dei thesaurus vester, ibi sit et cor vestrum. Existimate ergo non nimium, si, ut Timotheus, alumni vestri *ab infantia sacras litteras noscunt, quæ possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu* (2 Tim 3, 15). Utinam et ab avia sua et a matre didicissent (2 Tim 1, 5).

Te monitum volo, amice lector, usum huius libri. Indicem ad calcem reperies, in quo facile invenies materiam meditandam, vel tractandam; et index remittet te ad paginam, sub qua inscribitur titulus, quem quæris; nam sub eadem littera plures tituli sunt in ordine alphabetico inscripti; et sub eodem titulo plures sunt numeri inscripti numero arabico. Iidem textus pluribus veritatibus sæpe conveniunt, et voluminis brevitati consulens, non bis eosdem repetere potui; sed sub unoquoque titulo remittam te ad alium titulum et ad numerum, sub quibus in hoc libro deteges textus in priori titulo omissos, v. g. hoc modo: Cf. Humilitas n. 2.

Litteris italicis scribuntur, quæ textui Scripturæ Sacræ addimus.

Abbreviationes.

Act	Actus Apostolorum.
Agg	Aggæus.
Am	Amos.
Apoc	Apocalypsis.
Bar	Baruch.
Cant	Canticum canticorum.
Col	Epist. ad Colossenses.
Cor	Epist. ad Corinthios.
Dan	Daniel.
Dt	Deuteronomium.
Eccle	Ecclesiastes.
Eccli	Ecclesiasticus.
Eph	Epist. ad Ephesios.
Esd	Esdras.
Est	Esther.
Ex	Exodus.
Ez	Ezechiel.
Gal	Epist. ad Galatas.
Gn	Genesis.
Abd	Abdias.
Hab	Habacuc.
Hebr	Ep. ad Hebraeos.
Iac	Epist. Cath. b. Iacobi.
Ib	Iob.
Idt	Iudith.
Io	Ioannes.
Ion	Ionas.
Ir	Ieremias.
Is	Isaias
Iud	Epist. b. Iudae.
Lc	Lucas.
Lv	Leviticus.
Mach	Lib. Machabaeorum.
Mal	Malachias.
Mc	Marcus.
Mich	Michaeas.
Mt	Matthæus.
Nah	Nahum.
Neh	Nehemias.
Nm	Numeri.
Os	Osee.
Par	Lib. Paralipomenon.
Petr	Epist. b. Petri.
Phil	Epist. ad Philippenses.
Phm	" " Philemonem.
Pro	Lib. Proverbiorum.
Ps	Lib. Psalmorum.
Reg	Lib. Regum.
Rom	Epist. ad Romanos.
Ru	Ruth.
Sap	Lib. Sapientiae.
Soph	Sophonias.
Thess	Epist. ad Thessalonicenses.
Thr	Threni.
Tim	Epist. ad Timotheum.
Tit	Epist. ad Titum.
Tob	Tobias.
Za	Zacharias.



SENTENTIÆ ET EXEMPLA BIBLICA.



A

Abnegatio.

(Cf. Paupertas et Mortificatio).

1. *Necessitas.* Iesus dixit discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me (Mt 16, 24).

2. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam (Mt 16, 25).

3. *Utilitas.* Perfectio tua, et doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione (Dt 33, 8).

4. Qui dixit patri suo, et matri suae: Nescio vos; et fratribus suis: Ignoro vos: et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt (Dt 33, 9).

5. *Exempla.* (Cf. Religiosus n. 1 2 3. — Vocatio n. 10 18. — Generositas n. 2 et Abstinentia n. 6 sqq).

6. Quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum propter Christum detrimenta (Ph 3, 7).

7. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia

detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam (Ph 3, 8).

8. *Conclusio.* Nemo quod suum est quaerat, sed quod alterius (1 Cor 10, 24).

9. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus (1 Tim 6, 7).

10. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus (1 Tim 6, 8).

11. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: reliquum est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint (1 Cor 7, 29):

12. Et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudentes: et qui emunt, tamquam non possidentes (1Cor 7, 30):

13. Et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: praeterit enim figura huius mundi (1 Cor 7, 31).

Abstinentia.

(Cf. Temperantia).

1. *Antiquitas praecepti alicuius abstinentiae.* De ligno autem scientiae boni et mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris (Gn 2, 17).

2. *Post diluvium.* Carnem cum sanguine non comedetis (Gn 9, 4).

3. *Exempla.* Proposuit autem Daniel in corde suo ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus eius: et rogavit eunuchorum praepositum ne contaminaretur (Dan 1, 8).

4. Tenta nos obsecro servos tuos diebus decem, et dentur nobis legumina ad vescendum, et aqua ad bibendum (Dan 1, 12).

5. Post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores, et corpulentiores prae omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio (Dan 1, 15).

6. *Eleazaro minabantur mortem, si carnes vetitas non ederet.* At ille gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie praeibat ad supplicium (2 Mach 6, 19).

7. Intuens autem, quemadmodum oporteret accedere, patienter sustinens, destinavit non admittere illicita propter vitae amorem (2 Mach 6, 20).

8. Contigit autem et septem fratres una cum matre sua apprehensos compelli a rege edere contra fas carnes porcinas ... (2 Mach 7, 1).

9. Unus autem ex illis, qui erat primus, sic ait: Quid quaeris, et quid vis discere a nobis? parati sumus mori, magis, quam patrias Dei leges praevaricari (2 Mach 7, 2). *Et omnes mortem subierunt.*

Acedia.

Ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide, et patientia haereditabunt promissiones (Heb 6, 12. — Cf. Tepor — Otiositas et Pigritia).

Actiones.

(Cf. Opera bona).

1. *Sanctificandi actiones obligatio.* Negotiamini dum venio (Lc 19, 13).

2. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: ubi aerugo, et tinea demolitur: et ubi fures effodiunt, et furantur (Mt 6, 19).

3. Thesaurizate autem vobis thesauros in coelo: ubi neque aerugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur (Mt 6, 20).

4. Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii (Mt 12, 36).

5. *Utilitas huius sanctificationis.* Electi mei non laborabunt frustra (Is 65, 23).

6. Non erit ibi amplius infans dierum, et senex qui non impleat dies suos: quoniam puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit (Is 65, 20).

7. Colligite quae superaverunt fragmenta, ne pereant (Io 6, 12. — Cf. Œconomia n. 3).

8. Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite (1 Cor 10, 31).

9. *Necessarius est ad hanc sanctificationem status gratiae* (Cf. Peccatum n. 52 sqq et Caritas n. 14 sqq).

Adolescentia.

(Cf. Iuvenes).

Adoratio.

1. Adorate eum omnes Angeli eius (Ps 96, 7).

2. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum.. Seraphim stabant super illud ..... Et clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius (Is 6, 1 2 3).

3. Venite adoremus, et procidamus: et ploremus ante Dominum, qui fecit nos (Ps 94, 6. — Cf. Iesus Christus n. 19 sqq et Epiphania n. 8 sqq).

Adulatio.

(Cf. Occasio n. 1).

1. Homo, qui blandis, fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius (Pro 29, 5).

2. Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi (Eccle 7, 6).

3. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis (Pro 27, 6).

Adulterium.

1. Non mœchaberis (Ex 20 14).

2. Uterque morietur,

id est, adulter et adultera (Dt 22, 22).

3. Fornicatores enim, et adulteros iudicabit Deus (Hebr 13, 4).

4. Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo (Mt 5, 28. — Cf. Luxuria et Concionator n. 10).

Adventus.

1. Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum: aperiatur terra, et germinet salvatorem: et iustitia oriatur simul (Is 45, 8).

2. Parate viam Domini, rectas facite semitas eius (Mc 1, 3. — Cf. Mors et Iudicium).

Ægrotatio.

1. *Est saepe peccati effectus; Dominus, antegam sanaret aegrotos, illorum dimittebat peccata. Unde dixit paralytico:* Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat (Io 5, 14).

2. *Est etiam remedium peccati. Unde impius Antiochus percussus a Deo exclamavit:* Iustum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire (2 Mach 9, 12).

3. *Sed aegrotus ad Deum recurrat.* Fili in tua infirmitate... ora Dominum, et ipse curabit te (Eccli 38, 9).

4. Ægrotavit Ezechias usque ad mortem (4 Reg 20, 1). *Convertit se ad Dominum et sanitatem obtinuit.*

5. *Ulceribus plenus* non peccavit Iob labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est (Ib 1, 22). *Et restituit illi Dominus cum bonis omnibus sanitatem. Fere omnes aegroti, quos sanavit Iesus Christus, sanationem postulaverant.*

6. Ægrotavit etiam Asa..... dolore pedum vehementissimo, et nec in infirmitate sua quae-

sivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est.... Et mortuus est ..... (2 Par 16, 12 13).

7. *Nihilominus* ante languorem adhibe medicinam (Eccli 18, 20. — Cf. Medicus et Probatio).

Ægroti visitandi.
(Cf. Visitationes et Caritas n. 66 108).

Affectio carnalis.

Christus ait: Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei? — Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei... ipse meus frater, et soror, et mater est (Mt 12, 48 50. — Cf. Abnegatio n. 2 sqq. — Caritas n. 25. — Vocatio n. 10 19 25 26).

Agricultura.

Non oderis laboriosa opera, et rusticationem creatam ab Altissimo (Eccli 7, 16. — Cf. Labor).

Amabilitas.

1. Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit, quam frater (Pro 18, 24).

2. Vestigium cordis boni, et faciem bonam difficile invenies, et cum labore (Eccli 13, 32).

Ambitio.

(Cf. Avaritia).

1. Noli quaerere a domino ducatum, neque a rege cathedram honoris (Eccli 7, 4).

2. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere: quia facient sibi pennas quasi aquilae, et volabunt in cœlum (Pro 23, 5. — Cf. Divitiae n. 5).

3. Propter inopiam multi deliquerunt: et qui quaerit locupletari, avertit oculum suum (Eccli 27, 1).

4. Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam (Eccli 14, 9. — Cf. Dives et Divitiae).

5. Et cum haec omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochaeum Iudaeum sedentem ante fores regias (Est 5, 13) *aiebat Aman.*

6. Multiplicasti gentem, et non magnificasti laetitiam (Is 9, 3).

Iesus ergo cum cognovisset quia venturi essent ut... facerent eum regem, fugit... in montem (Io 6, 15).

Amicitia.

Amicitia Dei.

(Cf. Gratiae status).

Amicitia mundi.

(Cf. Mundus).

1. Melius est ergo duos esse simul, quam unum: habent enim emolumentum societatis suae (Eccle 4, 9):

2. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur: vae soli: quia cum ceciderit, non habet sublevantem se (Eccle 4, 10).

3. Et si quispiam praevaluerit contra unum, duo resistunt ei: funiculus triplex difficile rumpitur (Eccle 4, 12).

4. Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum (Eccli 6, 14).

5. Amico fideli nulla est comparatio (Eccli 6, 15. — Cf. Consilia).

6. Frater, qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma (Pro 18, 19. — Cf. Adulatio).

7. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur (Pro 13, 20).

8. Omni tempore diligit qui amicus est: et frater in angustiis comprobatur (Pro 17, 17).

9. Anima Ionathae conglutinata est animae David, et dilexit eum Ionathas quasi animam suam (1 Reg 18, 1).

10. Nam exspoliavit se Ionathas tunica... et dedit eam David (1 Reg 18, 4).

11. Si possides amicum... ne facile credas ei (Eccli 6, 7).

12. Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis (Eccli 6, 8).

13. Etiam proximo suo pauper odiosus erit: amici vero divitum multi (Pro 14, 20).

14. Mittens lapidem in volatilia, deiiciet illa: sic et qui conviciatur amico, dissolvit, amicitiam (Eccli 22, 25. — Cf. Discretio n. 11 12. — Occasio).

Amor.

Dei et proximi.

(Cf. Caritas).

Amor proprius.

(Cf. Abnegatio et Mundus n.15 sqq).

Angeli.

1. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei: iudicium sedit, et libri aperti sunt (Dan 7, 10).

2. Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis (Hebr 1, 14)?

3. *Angelus custos.* Ecce ego mittam Angelum meum, qui praecedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi (Ex 23, 20).

Quoniam Angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis (Ps 90, 11).

4. In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum (Ps 90, 12).

5. Angeli eorum *(puerorum)* in coelis semper vident faciem Patris... (Mt 18, 10).

6. Observa eum, et audi vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo (Ex 23, 21).

7. Quod si audieris vocem eius, et feceris omnia quae loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te (Ex 23, 22).

8. *Officia Angelorum. Angeli coegerunt Loth, ut Sodoma fugeret* (Gn 19). *Angelus solatus est Agar in deserto* (Gn 21, 17). *Et excitavit Eliam ostendens illi panem coctum et vas aquae.* (3 Reg 19, 5 6). *Raphael fuit dux Tobiae, illum a pisce et uxorem a daemonio liberavit et patri caeco visum restituit* (Tob 5). *Obtulit eius orationem Domino* (Tob 12, 12). *Angelus descendit cum Azaria et sociis eius in fornacem; neque tetigit eos ignis* (Dan 3, 49). *Conclusit ora leonum* (Dan 6, 22).

9. Vivit autem ipse Dominus, quoniam custodivit me Angelus eius et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem, et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me vobis gaudentem in victoria sua, in evasione mea, et in liberatione vestra (Idt 13, 20).

10. Angelus Domini ... percusso latere Petri, excitavit eum.... Et ceciderunt catenae (Act 12, 7).

Anima.

(Cf. Immortalitas).

1. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua (Mt 16, 26)?

2. Empti enim estis pretio magno. Glorificate, et portate Deum in corpore vestro (1 Cor 6. 20. — Cf. Respectus humanus n. 4 et I.-Ch. Sanguis, n. 112).

3. Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum (Ps 92 5).

4. Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? (1 Cor 3. 16. — Cf. Templum n. 27).

5. Nolite timere eos, qui occidunt corpus,

animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest et animam, et corpus perdere in gehennam (Mt 10, 28).

6. *Anima fidelis.* Et sponsabo te mihi in sempiternum: et sponsabo te mihi in iustitia, et iudicio, et in misericordia, et in miserationibus (Os 2, 19).

Annuntiatio.

1. Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen virginis Maria (Lc 1, 26 27).

2. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus (Lc 1, 28).

3. Quae cum audisset, turbata est in sermone eius, et cogitabat qualis esset ista salutatio (Lc 1. 29).

4. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum (Lc 1, 30):

5. Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius IESUM (Lc 1, 31).

6. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius: et regnabit in domo Iacob in aeternum (Lc 1, 32),

7. Et regni eius non erit finis (Lc 1, 33).

8. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco (Lc 1, 34)?

9. Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei (Lc 1, 35).

10. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua: et hic mensis sextus est illi, quae vocatur sterilis (Lc 1, 36):

11. Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum (Lc 1, 37).

12. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus (Lc 1, 38).

Apparitiones.

(Cf. Peregrinatio et Visio).

1. *Frequentes fuere in Veteri et in Novo Testamento apparitiones tum Dei, tum Angelorum. Cum Moyses minasset gregem Iethro soceri sui in interiora deserti, vidit rubum ardentem, quin combureretur.*

2. Dixit ergo Moyses: Vadam, et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus (Ex 3, 3).

Ascensio.

1. Audistis quia ego dixi vobis: Vado, et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: quia Pater maior me est (Io 14, 28).

2. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos (Io 16, 7).

3. Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum (Io 20, 17).

4. Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae (Act 1, 8).

5. Eduxit autem eos foras in Bethaniam: et elevatis manibus suis benedixit eis (Lc 24, 50).

6. Videntibus illis, elevatus est: et nubes suscepit eum ab oculis eorum (Act 1, 9).

7. Cumque intueren-

tur in coelum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis (Act 1, 10).

8. Qui et dixerunt: Viri Galilaei quid statis aspicientes in coelum? hic Iesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum (Act 1, 11).

9. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae (Eph 4, 9)?

Avaritia.

(Cf. Ambitio).

1. Dixitque ad illos: Videte, et cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his quae possidet (Lc 12, 15).

2. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: Hominis cuiusdam divitis uberes fructus ager attulit (Lc 12, 16):

3. Et cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos (Lc 12, 17)?

4. Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, et maiora faciam: et illuc congregabo omnia, quae nata sunt mihi, et bona mea (Lc 12, 18),

5. Et dicam animae meae: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare (Lc 12, 19).

6. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quae autem parasti, cuius erunt (Lc 12, 20)?

7. Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives (Lc 12, 21).

8. Unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius divitiis: nec recogitat, dicens: Cui laboro, et fraudo animam meam bonis? in hoc quoque vanitas est, et afflictio pessima (Eccle 4, 8).

9. Avaro autem nihil est scelestius (Eccli 10, 9).

10. Radix... omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis (I. Tim 6, 10).

11. Avarus, quod est idolorum servitus, non habet haereditatem in regno Christi, et Dei (Eph 5, 5. — Cf. Abnegatio n. 8 9 10. — Divites. — Divitiae et Actiones n. 2).

12. Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, et in necessaria domus tuae: et ad victum ancillis tuis (Pro 27, 27).



B

Baptismus.

1. Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris (Ez 36, 25).

2. Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri: et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum (Ez 36, 26).

3. Et spiritum meum ponam in medio vestri (Ez 36, 27).

4. Respondit Iesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (Io 3, 5).

5. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spiritu, spiritus est (Io 3, 6).

6. Non mireris quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo (Io 3, 7).

7. Spiritus ubi vult spirat: et vocem eius audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu (Io 3, 8).

8. Euntes.... docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (Mt 28, 19).

9. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit (Mc 16, 16).

10. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti (Tit 3, 5).

11. Quicumque..... in Christo baptizati estis, Christum induistis (Gal 3, 27. — Cf. Promissiones Baptismi).

Beatitudo.

æterna

(Cf. Cœlum).

hominis iusti

(Cf. Iustus. — Mandata Dei. — Timor).

1. *Beatitudines.* Videns autem Iesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius (Mt 5, 1).

2. Et aperiens os suum docebat eos, dicens (Mt 5, 2):

3. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum (Mt 5, 3).

4. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram (Mt 5, 4).

5. Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur (Mt 5, 5).

6. Beati, qui esuriunt, et sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur (Mt 5, 6).

7. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur (Mt 5, 7).

8. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt (Mt 5, 8).

9. Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur (Mt 5, 9).

10. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum (Mt 5, 10).

11. Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me (Mt 5, 11):

12. Gaudete, et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos (Mt 5, 12).

Bella.

(Cf. Calamitates. — Flagella Dei. — Peccatum n. 18 et 26).

Blasphemia.

(Cf. Deus n. 11 sqq).

1. Non assumes nomen Domini Dei tui in

vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra (Ex 20, 7).

2. Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admiscearis: quoniam non eris immunis ab eis (Eccli 23, 10).

3. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur (Lv 24, 16). Iugiter tota die nomen meum blasphematur (Is 52, 5).

4. Cui exprobrasti, et quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam, et elevasti in excelsum oculos tuos? contra sanctum Israel (4 Reg 19, 22).

Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo (1 Reg 2, 25)?

5. *Sennacherib, rex Assyriorum, scripserat epistolam blasphemiis plenam.* Egressus est autem Angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Et surrexerunt mane, et ecce omnes, cadavera mortuorum (Is 37, 36).

6. Et egressus est, et abiit, et reversus est Sennacherib rex Assyriorum, et habitavit in Ninive (Is 37, 37).

7. Et factum est, cum adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramelech, et Sarasar filii eius percusserunt eum gladio: fugeruntque in terram Ararat, et regnavit Assarhaddon filius eius pro eo (Is 37, 38).

8. A me *(Nabuchodonosor)* ergo positum est hoc decretum, ut omnis populus, tribus, et lingua, quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, et Abdenago, dispereat, et domus eius vastetur: neque enim est alius Deus, qui possit ita salvare (Dan 3, 96).

Bona ecclesiastica.

1. Heliodorus autem, quod decreverat, perficiebat eodem loco ipse cum satellitibus circa ærarium præsens (2 Mach 3, 23).

2. Alii etiam apparuerunt duo iuvenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu: qui circumsteterunt eum, et ex utraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes (2 Mach 3, 26).

3. Subito autem Heliodorus concidit in terram, eumque multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum eiecerunt (2 Mach 3, 27).

Boni.

Et dies pleni invenientur in eis (Ps 72, 10. — Cf. Iustus. — Mandata Dei n. 15 sqq, n. 42 sqq. — Actiones. — Opera bona. — Deus, illi serviendum).



C

Calamitates.

(Cf. Peccatum n. 18 sqq).

1. Sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella Domini, quibus quasi servi corripimur ad emendationem, et non ad perditionem nostram evenisse credamus (Idt 8, 27).

2. Ea, quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri (2 Mach 6, 12).

3. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium (2 Mach 6, 13).

4. Non enim, sicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, ut eas, cum iudicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat (2 Mach 6, 14).

5. ...Corripiens vero in adversis populum suum non derelinquit (2 Mach 6, 16).

6. O mucro Domini usquequo non quiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, et sile (Ir 47, 6. — Cf. Oratio in calamitatibus et Contritio n. 12, 13).

Cantus.

Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo et mente: psallam spiritu, psallam et mente (1 Cor 14, 15).

Castitas.

(Cf. Matrimonium n. 14).

1. Qui diligit cordis munditiam, propter

gratiam labiorum suorum habebit amicum regem (Pro 22, 11. — Cf. Beatitudines n. 8).

2.... Incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum (Sap 3, 13):

3. Et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima (Sap 3, 14).

4. O quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius: quoniam et apud Deum nota est, et apud homines (Sap 4, 1).

5. Incorruptio autem facit esse proximum Deo (Sap 6, 20).

6. Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum: adii Dominum, et deprecatus sum illum, et dixi ex totis præcordiis meis (Sap 8, 21).

7. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te (Sap 9, 10).

8. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ (Eccli 26, 20).

9. Cor mundum crea in me Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis (Ps 50, 12).

10. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris (Lc 12, 35. — Cf. Peccatum n. 16).

11. *Putipharis uxor conabatur seducere Ioseph.* Qui relicto in manu eius palli fugito, et egressus est foras (Gn 39, 12).

12. Te ipsum castum custodi (1 Tim 5, 22).

13. Quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, et

post virum tuum, alterum nescieris: ideo et manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in æternum (Idt 15, 11).

14. Ingemuit Susanna, et ait: Angustiæ sunt mihi undique: si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras (Dan 13, 22).

15. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini (Dan 13, 23).

Catechismus.

1. Qui evitat discere, incidet in mala (Pro 17, 16).

2. Verbum enim Domini proiecerunt, et sapientia nulla est in eis (Ir 8, 9).

3. Cor prudens possidebit scientiam (Pro 18, 15).

4. Cor autem rectum inquirit scientiam (Pro 27, 21).

5. Non cesses fili audire doctrinam, nec ignores sermones scientiæ (Pro 19, 27).

6. Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus (Ir 31, 34 — Cf. Caritas n. 95 — Ecclesia n. 3 sqq. — Deus n. 1 sqq. — Iesus Christus n. 1 sqq. — Fides n. 19 et Ignorantia).

Caritas

I. Dei erga homines.

(Cf. Providentia, Misericordia).

1. Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus caritas est (1 Io 4, 8).

2. Etenim Deus noster ignis consumens est (Hebr 12, 29).

3. In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis (Os 11, 4).

4. Et in caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans (Ir 31, 3 — Cf. Misericordia n. 12).

5. Ego diligentes me diligo (Pro 8, 17).

6. Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam: et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum (Ir 31, 33).

7. In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum (1 Io 4, 9).

8. In hoc est caritas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris (1 Io 4, 10).

9. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam (Io 3, 16).

10. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum (Io 3, 17).

11. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso (2 Cor 5, 21).

12. Et nos cognovimus, et credidimus caritati, quam habet Deus in nobis. Deus caritas est: et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo (1 Io 4, 16).

13. Deus...... propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, ... convificavit nos... (Eph 2, 4 5).

II. erga Deum.

14. Si linguis hominum loquar, et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens (1 Cor 13, 1).

15. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et om-

nem scientiam: et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum (1 Cor 13, 2).

16. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest (1 Cor 13, 3).

17. Magister, quod est mandatum magnum in lege (Mt 22, 36)?

18. Ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota menta tua (Mt 22, 37).

19. Hoc est maximum, et primum mandatum (Mt 22, 38. — Cf. Mandata Dei n. 24 sqq).

20. Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi (Lc 1, 74).

21. In sanctitate, et iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris (Lc 1, 75).

22. Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (Rom 5, 5).

23. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater) (Rom 8, 15).

24. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti (Rom 8, 28).

25. Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus: et qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus (Mt 10, 37).

26. Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate (1 Io 3, 18).

27. Hæc est enim caritas Dei, ut mandata eius custodiamus (1 Io 5, 3).

28. In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus (1 Io 3, 19).

29. Qui habet mandata mea, et servat ea: ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum (Io 14, 21).

30. Respondit Iesus, et dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (Io 14, 23):

31. Qui non diligit me, sermones meos non servat (Io 14, 24).

32. Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc (Io 14, 31).

33. Ait *(Deus Abraham)*: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi (Gn 22, 2). *Et obedivit Abraham.*

34. Ignis autem in altari semper ardebit (Lv 6, 12).

35. Præbe fili mi cor tuum mihi: et oculi tui vias meas custodiant (Pro 23, 26).

36. Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator (Dt 4, 24. — Cf. Tepor n. 2 et Iesus Christus n. 191 sqq).

37. Tuus sum ego, salvum me fac: quoniam iustificationes tuas exquisivi (Ps 118, 94).

38. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio; dura sicut infernus æmulatio, lampades eius lampades ignis atque flammarum (Cant 8, 6).

39. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere caritatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam (Cant 8, 7).

40. Universa delicta operit caritas (Pro 10, 12).

41. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est: quæsivi, et non inveni illum: vocavi, et non respondit mihi (Cant 5, 6).

42. Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo (Cant 5, 8).

43. Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus (Cant 5, 10).

44. Dilectio Dei honorabilis sapientia (Eccli 1, 14).

45. Caritas numquam excidit: sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur (1 Cor 13, 8).

46. Nunc autem manent, fides, spes, caritas: tria hæc: maior autem horum est caritas (1 Cor 13, 13).

47. Qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent (Idc 5, 31).

III. erga proximum.

(Cf. Zelus, et Amor proprius).

48 Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum (Mt 22, 39). In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ (Mt 22, 40).

49 Mandatum novum do vobis: Ut diligatis invicem (Io 13, 34).

50. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem (Io 13 35).

51. Omne animal diligit simile sibi: sic et omnis homo proximum sibi (Eccli 13, 19).

52. Numquid non Deus unus creavit nos? quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum (Mal 2, 10)?

53. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent (Rom 12, 4):

54. Ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra (Rom 12, 5).

55. Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus (1 Cor 10, 17. — Cf. Abnegatio n. 8).

56. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra (1 Cor 12, 26).

57. Qui non diligit, manet in morte (1 Io 3, 14).

58. Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere (1 Io 4, 20)?

59. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio (Mt 5, 21).

60. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis (Mt 5, 22).

61. Cor durum habebit male in novissimo (Eccli 3, 27).

62. *Fatuæ virgines, caritatis oleum non habentes a sponsi convivio repulsæ sunt.*

63. Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim lex, et prophetæ (Mt 7, 12).

64. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit (Mt 18, 5).

65. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes

eram, et collegistis me (Mt 25, 35):

66. Nudus, et cooperuistis me: infirmus, et visitastis me: in carcere eram, et venistis ad me (Mt 25, 36).

67. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te: sitientem, et dedimus tibi potum (Mt 25, 37)?

68. Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te: aut nudum, et cooperuimus te (Mt 25, 38)?

69. Aut quando te vidimus infirmum: aut in carcere, et venimus ad te (Mt 25, 39)?

70. Et respondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis (Mt 25, 40).

71. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitivi, et non dedistis mihi potum (Mt 25, 42):

72. Hospes eram, et non collegistis me: nudus, et non cooperuistis me: infirmus, et in carcere, et non visitastis me (Mt 25, 43).

73. Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi (Mt 25, 44)?

74. Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis (Mt 25, 45).

75. Et iam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum, sicut et nos (Io 17, 11).

76. Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me (Io 17, 20):

77. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint:

ut credat mundus, quia tu me misisti (Io 17, 21).

78. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut et nos unum sumus (Io 17, 22).

79. Ego in eis, et tu in me: ut sint consummati in unum: et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti (Io 17, 23).

80. Super omnia autem hæc, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis (Col 3, 14).

81. Finis autem præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta (1 Tim 1, 5).

82. Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes: quia caritas operit multitudinem peccatorum (1 Petr 4, 8).

83. Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum (Ps 132, 1).

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in sæculum (Ps 132, 3).

84. Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una (Act 4, 32. — Cf. Caritas erga Deum n. 26).

85. Suscipiens autem Iesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum: et plagis impositis abierunt semivivo relicto (Lc 10, 30).

86. Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via: et viso illo præterivit (Lc 10, 31).

87. Similiter et Levita, cum esset secus locum, et videret eum, pertransiit (Lc 10, 32).

88. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: et videns eum, misericordia motus est (Lc 10, 33).

89. Et appropians alligavit vulnera eius, infundens oleum, et vinum: et imponens il-

lum in iumentum suum, duxit in stabulum, et curam eius egit (Lc 10, 34).

90. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones (Lc 10, 36)?

91. At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus: Vade, et tu fac similiter (Lc 10, 37).

92. Omnia vestra in caritate fiant (1 Cor 16, 14).

93. In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere (1 Io 3, 16).

94. Ordinavit in me caritatem (Cant 2, 4).

95. Qui misericordiam habet, docet, et erudit quasi pastor gregem suum (Eccli 18, 13).

96. Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula. (Eccli 7, 38).

97. Intellige quæ sunt proximi tui ex teipso (Eccli 31, 18).

98. Date, et dabitur vobis: mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis (Lc 6, 38).

99. Caritate fraternitatis invicem diligentes: Honore invicem prævenientes (Rom 12, 10).

100. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus, et Magister: et vos debetis alter alterius lavare pedes (Io 13, 14).

101. Deus autem patientiæ, et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum (Rom 15, 5):

102. Ut unanimes, uno ore honorificetis Deum, et patrem Domini nostri Iesu Christi (Rom 15, 6).

103. Obsecro autem vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi: ut idipsum dicatis omnes, et non sint

in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia (1 Cor 1, 10).

104. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi (Gal 6, 2).

105. Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis (Eph 4, 3).

106. Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes (Phil 2, 3).

107. Mementote vinctorum, tamquam simul vincti: et laborantium, tamquam et ipsi in corpore morantes (Hebr 13, 3).

108. Religio munda, et immaculata apud Deum et Patrem, haec est: Visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo (Iac 1, 27).

109. Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum (Mt 5, 43).

110. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos (Mt 5, 44):

111. Ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super iustos et iniustos (Mt 5, 45),

112. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc faciunt (Mt 5, 46)?

113. Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne et ethnici hoc faciunt (Mt 5, 47)?

114. Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere: quae gratia est vobis? nam et peccatores peccatoribus fenerantur, ut recipiant aequalia (Lc 6, 34).

115. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te (Mt 5, 23):

116. Relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum (Mt 5, 24).

117. Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo: ne forte tradat te adversarius iudici, et iudex tradat te ministro: et in carcerem mittaris (Mt 5, 25).

118. Caritas patiens est, benigna est: caritas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur (1 Cor 13, 4),

119. Non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum (1 Cor 13, 5),

120. Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati (1 Cor 13, 6):

121. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet (1 Cor 13, 7).

Choreae.

1. *Uxor Tobiæ orabat:* Nunquam cum ludentibus miscui me: neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me praebui (Tob 3, 17).

2. Cum saltatrice ne assiduus sis... ne forte pereas (Eccli 9, 4).

3. Pro eo quod plausisti manu, et percussisti pede, et gavisa es ex toto affectu super terram Israel: Idcirco ecce ego extendam manum meam super te (Ez 25, 6 7).

4. Saltavit filia Herodiadis.... et placuit Herodi (Mt 14, 6) .... Da mihi, inquit, hic in disco caput Ioannis Baptistae (Mt 14, 8).

Circumcisio.

(Cf. Nomen Iesu).

Clerici.

1. Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei: tu es, qui restitues haereditatem meam mihi (Ps 15, 5).

2. Sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia (Mal 3, 3).

3. Audite me Levitae, et sanctificamini, mundate domum Domini.... et auferte omnem immunditiam de sanctuario (2 Par 29, 5).

4. Et hi autem probentur primum: et sic ministrent, nullum crimen habentes (1 Tim 3, 10. — Cf. Sacerdos).

Coelibatus.

1. Dicunt ei discipuli eius: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere (Mt 19, 10).

2. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est (Mt 19, 11).

3. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum. Qui potest capere capiat (Mt 19, 12).

4. Volo enim omnes vos esse sicut meipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic (1 Cor 7, 7).

5. Dico autem non nuptis, et viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego (1 Cor 7, 8. — Cf. Virginitas, Castitas).

Coelum.

1. *Nullum malum.* Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus aestus (Apc 7, 16):

2. Et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum (Apc 7, 17. — Cf. n. 12 infra).

3. *Omne bonum.* Oculus non vidit, nec

auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum (1 Cor 2, 9).

4. *Animae bonum. Visio.* Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis (Io 14, 8. — Cf. Crux n. 8).

5. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli (1 Cor 13, 11).

6. Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum (1 Cor 13, 12).

7. *Possessio.* Ego... merces tua magna nimis (Gn 15, 1).

8. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est (1 Io 3, 2).

9. *Corporis felicitas ex pulchritudine civitatis.* Quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster (Is 33, 21).

10. Et ego Ioannes vidi sanctam civitatem Ierusalem novam descendentem de cœlo a Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo (Apc 21, 2).

11. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus (Apc 21, 3):

12. Et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum: et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt (Apc 21, 4).

13. Ostendit .... Ierusalem .... habentem claritatem Dei: et lumen eius simile lapidi pretioso tamquam lapidi iaspidis, sicut crystallum (Apc 21, 10 11).

14. Et erat structura muri eius ex lapide iaspide: ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo (Apc 21, 18).

15. Et platea civitatis aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum (Apc 21, 21).

16. Et civitas non eget sole, neque luna ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus (Apc 21, 23).

17. Post haec vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis: stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmae in manibus eorum (Apc 7, 9. — Cf. Ecclesia n. 13).

Beatitudo Resurrectionis. (Cf. Resurrectio n. 23 sqq).

18. *Ergo perfecta felicitas.* Laetitia sempiterna super caput eorum: gaudium et laetitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus (Is 35, 10).

19. Fluminis impetus laetificat civitatem Dei (Ps 45, 5).

20. In haereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcessibilem, conservatam in cœlis in vobis (1 Petr 1, 4).

21. *Ad eam tendamus.* Peto, nate, ut aspicias ad cœlum (2 Mach 7, 28).

22. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum (Mt 6, 21).

23. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (Ps 86, 3).

24. Ait Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video (Tob 5, 12)?

25. Cunctis diebus, quibus nunc milito, exspecto donec veniat immutatio mea (Ib 14, 14).

26. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt,

et non alius: reposita est haec spes mea in sinu meo (Ib 19, 27).

27. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae (Ps 26, 4).

28. Aperite mihi portas iustitiae, ingressus in eas confitebor Domino (Ps 117, 19):

29. Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam (Ps 117, 20).

30. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar (Ps 119, 5):

31. Multum incola fuit anima mea (Ps 119, 5).

32. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus (Ps 121, 1).

33. Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus: cum recordaremur Sion (Ps 136, 1):

34. In salicibus in medio eius, suspendimus organa nostra (Ps 136, 2).

35. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum: Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion (Ps 136, 3).

36. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena (Ps 136, 4)?

37. Si oblitus fuero tui Ierusalem, oblivioni detur dextera mea (Ps 136, 5).

38. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui: Si non proposuero Ierusalem, in principio laetitiae meae (Ps 136, 6).

39. Spes, quæ differtur, affligit animam (Pro 13, 12. — Cf. Mors n. 46 sqq).

40. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas adspicientes, et salutantes, et confitentes, quia peregrini, et hospites sunt super terram (Hebr 11, 13).

41. Qui enim haec dicunt, significant se patriam *inquirere* (Hebr 11, 14).

42. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (Hebr 13, 14. — Cf. Unio cum Deo n. 3 sqq).

43. Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem: Non crediderunt verbo eius (Ps 105, 24).

44. *Cum fiducia:* Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi (Io 17, 24).

45. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum (Io 14, 2).

46. Et si abiero, et præparavero vobis locum: iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis (Io 14, 3).

47. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans (I Cor 9, 26).

48. *Quid faciendum? Peccatum vitandum.* Declina a malo, et fac bonum: et inhabita in sæculum sæculi (Ps 36, 27).

49. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri (1 Cor 6, 9),

50. Neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt (1 Cor 6, 10).

51. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni (Apc 21, 27).

52. Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis ser-

vientes, et omnis, qui amat, et facit mendacium (Apc 22, 15).

53. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo (Ps 14, 1)?

54. Qui ingreditur sine macula, et operatur iustitiam (Ps 14, 2. — Cf. Beatitudines).

55. *Pati oportet.* Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo (Mt 20, 21).

56. Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus (Mt 20, 22. — Cf. Crux n. 8).

57. Nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis (1 Cor 9, 24).

58. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam (1 Cor 9, 25).

59. Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis (2 Cor 4, 17),

60. Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quae autem non videntur, aeterna sunt (2 Cor 4, 18).

61. Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in cœlis (2 Cor 5, 1).

62. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quae de cœlo est, superindui cupientes (2 Cor 5, 2).

63. Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (2 Cor 5, 6).

64. Bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum (2 Cor 5, 8).

65. Et ideo contendimus sive absentes, sive praesentes placere illi (2 Cor 5, 9).

66. Respondit unus de senioribus, et dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venerunt (Apc 7, 13)?

67. Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni (Apc 7, 14).

68. Festinemus ergo ingredi in illam requiem (Hebr 4, 11).

Cogitationes.

1. Abominatio Domini cogitationes malæ (Pro 15, 26).

2. Perversæ enim cogitationes separant a Deo (Sap 1, 3).

Communio.

(Cf. Eucharistia).

Communio generalis.

(Cf. Pascha n. 1).

Compassio.

(Cf. Caritas n. 56—106 et Inimici n. 2).

Conceptio immaculata.

(Cf. Maria).

Concionator.

(Cf. Prædicatio).

1. *Concionatoris zelus.* Os meum annuntiabit iustitiam tuam: tota die salutare tuum (Ps 70, 15).

2. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, prædicate super tecta (Mt 10, 27).

3. Praedica verbum, insta opportune, impor-

tune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina (2 Tim 4, 2).

4. *Fortitudo eius.* Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum: et non confundebar (Ps 118, 46).

5. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Iacob peccata eorum (Is 58, 1).

6. Væ quae consuunt pulvillos sub omni cubito manus: et faciunt cervicallia sub capite universae aetatis ad capiendas animas (Ez 13, 18).

7. Et es eis quasi carmen musicum, quod suavi, dulcique sono canitur: et audiunt verba tua, et non faciunt ea (Ez 33, 32).

8. *Dicunt peccatores:* Loquimini nobis placentia, videte nobis errores (Is 30, 10).

9. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis (Mt 10, 20).

10. Dicebat enim illi *(Herodi)* Ioannes: Non licet tibi habere eam (Mt 14, 4).

11. *Humilitas.* Et dixi, A a a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum (Ir 1, 6).

12. Et dixit Dominus ad me: Noli dicere: Puer sum: quoniam ad omnia, quae mittam te, ibis: et universa, quaecumque mandavero tibi, loqueris (Ir 1, 7).

13. Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus (2 Cor 3, 6 7).

14. *Simplicitas.* Qui tantum verba sectatur, nihil habebit (Pro 19, 7).

15. Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini (Ps 70, 15 16).

16. Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt (Mt 13, 13).

17. Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis (1 Cor 3, 1 2).

18. Et omnes testimonium illi dabant: et mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius, et dicebant: Nonne hic est filius Ioseph (Lc 4, 22)?

19. *Quid prædicare debeat?* Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum (Io 3, 34).

20. Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit; qui autem quaerit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, et iniustitia in illo non est (Io 7, 18).

21. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis (Io 15, 27).

22. *Aiebat Balaam:* Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini... ut vel plus, vel minus loquar (Nm 22, 18).

23. Ineptas.... et aniles fabulas devita (1 Tim 4, 7).

24. Nos autem praedicamus Christum crucifixum: Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam (1 Cor 1, 23),

25. Ipsis autem vocatis Iudaeis, atque Graecis Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam (1 Cor 1, 24).

26. Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur (2 Cor 2, 17).

27. Non enim nosmetipsos praedicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum: nos autem servos vestros per Iesum (2 Cor 4, 5).

28. *In quo loco prædicandum?* Ait illis: Utique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura teipsum: quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua (Lc 4, 23).

29. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua (Lc 4, 24).

30. Quibus ille ait: Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum (Lc 4, 43. — Cf. Sacerdos, Missionarius et Verbum Dei).

Concordia.

(Cf. Mansuetudo et Propinqui).

1. Unus aedificans, et unus destruens: quid prodest illis nisi labor (Eccli 34, 28)?

2. Omne regnum divisum contra se, desolabitur: et omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit (Mt 12, 25).

3. Et si satanas satanam eiicit, adversus se divisus est: quomodo ergo stabit regnum eius (Mt 12, 26)?

4. Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium (2 Tim 2, 14).

5. Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum iurgio (Pro 17, 1. — Cf. Amicus n. 6. et Caritas n. 109 111 sqq).

Concupiscentia.

1. Caro enim concupiscit adversus spiritum: spiritus autem adversus carnem: haec enim sibi invicem adversantur: ut non quaecumque vultis, illa faciatis (Gal 5, 17).

2. Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua (Gn 8, 21).

3. Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle, adiacet mihi: perficere autem bonum, non invenio (Rom 7, 18).

4. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago (Rom 7, 19).

5. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis (Rom 7, 23).

6. Unde bella, et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quae militant in membris vestris? (Iac 4, 1. — Cf. Peccatum n. 47).

7. Sanguisugae duae sunt filiae, dicentes: Affer, Affer (Pro 30, 15).

8. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem (Sap 9, 15).

9. Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere (Eccli 18, 30).

10. Si praestes animae tuae concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis (Eccli 18, 31).

11. Persequar inimicos meos, et comprehendam illos: et non convertar donec deficiant (Ps 17, 38. — Cf. Verbum Dei n. 46 sqq).

12. Manifesta sunt autem opera carnis: quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria (Gal 5, 19),

13. Idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissentiones, sectae (Gal 5, 20), invidiae, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia, quae praedico vobis, sicut praedixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur (Gal 5, 21).

14. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius (Rom 7, 24)?

15. Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum (Rom 7, 25).

16. Eripe me de luto, ut non infigar: libera me ab iis, qui oderunt me, et de profundis aquarum (Ps 68, 15).

Condonatio iniuriarum.

(Cf. Lites).

1. Irascimini, et nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram (Eph 4, 26).

2. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet et vobis Pater vester coelestis delicta vestra (Mt 6, 14).

3. Si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra (Mt 6, 15).

4. Accedens Petrus ad eum, dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies (Mt 18, 21)?

5. Dicit illi Iesus: Non dico tibi usque septies: sed usque septuagies septies (Mt 18, 22).

6. Procidens autem servus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi (Mt 18, 26).

7. Egressus autem servus ille invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios: et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes (Mt 18, 28).

8. Tunc vocavit illum dominus suus: et ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me (Mt 18, 32):

9. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? (Mt 18, 33)?

10. Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum (Mt 18, 34).

11. Sic et Pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris (Mt 18, 35).

12. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam (Ps 108, 4 — Cf. Fratres n. 2).

13. *Fugiente David a facie Absalom*, Semei... maledicebat, mittebatque lapides contra David. Et ait rex... dimittite eum... Si forte... reddat mihi Dominus bonum pro maledictione (2 Reg 16, 5 sqq. — Cf. Passio n. 133).

Confessio.

1. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur (Pro 28, 13).

2. Si confiteamur peccata nostra: fidelis est, et iustus, ut remittat nobis peccata nostra (1 Io 1, 9 — Cf. Ingratitudo n. 1).

3. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt (Io 20, 21 22 23).

4. Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo (Mt 18, 18). Dedit nobis ministerium reconciliationis (2 Cor 5, 18).

5. Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil, perit confessio (Eccli 17, 26).

6. Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et gloriaberis in miserationibus illius (Eccli 17, 27).

7. Multi credentium veniebant confitentes, et annuntiantes actus suos (Act 19, 18).

8. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra (Iac 5, 16).

9. *Confessio generalis*. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae (Is 38, 15).

Confidentia.

(Cf. Fiducia).

Confirmatio.

1. Imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum (Act 8, 17).

2. Requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiae, et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (Is 11, 2 3. — Cf. Spiritus sanctus).

Conformari voluntati divinae.

(Cf. Patientia et Voluntas Dei).

1. Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt (Eccli 11, 14).

2. An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam (Rom 9, 21)?

3. Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic (Rom 9, 20)?

4. Vae qui contradicit fictori suo (Is 45, 9).

5. Omnia autem facite sine murmurationibus, et haesitationibus (Phil 2, 14. — Cf. Eucharistia n. 56).

6. Non contristabit iustum quidquid ei acciderit: impii autem replebuntur malo (Pro 12, 21. — Cf. Fiducia n. 6 sqq).

7. Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat (1 Reg 3, 18. — Cf. Zelus n. 43).

8. Quasi una de stultis mulieribus locuta es: si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? in omnibus his non peccavit Iob labiis suis (Ib 2, 10. — Cf. Calamitates n. 1 sqq).

9. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum (Ib 1, 21). Peccavi, et vere deliqui, et, ut eram dignus, non recepi (Ib 33, 27).

10. Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti (Ps 38, 10. — Cf. Passio n. 145 et 157).

Conscientia.

(Cf. Remorsus).

1. Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex (Rom 2, 14):

2. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus (Rom 2, 15).

3. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est (Rom 14, 23).

4. Littera enim occidit, Spiritus autem vivificat (2 Cor 3, 6).

5. Habens fidem, et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt (1 Tim 1, 19).

6. Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum (1 Io 3, 21).

Consilia.

1. *Consilia bona.* Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi (Eccle 12, 11).

2. Qui... agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia (Pro 13, 10).

3. Consilium custodiet te (Pro 2, 11).

4. Consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime. (Dan 4, 24. *Non acquievit Nabuchodonosor, et mutatus est in bestiam.* — Cf. Director, Directio).

5. *Consilia mala. Roboam consilio iuvenum et non senum acquiescens amisit regni sui partem.*

6. Consilium impiorum longe sit a me (Ib 21, 16).

7. *Consilia evangelica.* Ponetur in ea murus et antemurale (Is 26, 1).

8. Dicit illi adolescens: Omnia haec custodivi a iuventute mea, quid adhuc mihi deest (Mt 19, 20)?

9. Ait illi Iesus: Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo: et veni, sequere me (Mt 19, 21).

10. Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones (Mt 19, 22).

11. Unguento et variis odoribus delectatur cor: et bonis amici consiliis anima dulcoratur (Pro 27, 9).

12. Noli prohibere benefacere eum, qui potest: si vales, et ipse benefac (Pro 3, 27. — Cf. Coelibatus, Virginitas, Paupertas, Religiosus, Vota religiosa).

Consiliarii.

(Cf. Director, Directio).

1. Cum fatuis consilium non habeas: non enim poterunt diligere nisi quae eis placent (Eccli 8, 20).

2. Noli consiliari cum eo, qui tibi insidiatur, et a zelantibus te absconde consilium (Eccli 37, 7).

3. Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, et cum iniusto de iustitia, et cum muliere de ea, quae aemulatur: cum timido de bello, cum negotiatore de traiectione, cum emptore de venditione, cum viro livido de gratiis agendis (Eccli 37, 12).

4. Non enim omnia omnibus expediunt, et non omni animae omne genus placet (Eccli 37, 31).



Consolatio.

(Cf. Probatio).

1. *Divina.* Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tuae laetificaverunt animam meam (Ps. 93, 19. — Cf. Deus n. 77).

2. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis (2 Cor 1, 3),

3. Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur et ipsi a Deo (2 Cor 1, 4).

4. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita et per Christum abundat consolatio nostra (2 Cor 1, 5. — Cf. Coelum n. 3).

5. Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quae facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut taederet nos etiam vivere (2 Cor 1, 8).

6. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos (2 Cor 1, 9):

7. Qui de tantis periculis nos eripuit, et eruit: in quem speramus quoniam et adhuc eripiet (2 Cor 1, 10).

8. Ait illis Iesus: Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus: et tunc ieiunabunt (Mt 9, 15).

9. *Humana.* Consolatores onerosi omnes vos estis (Ib 16, 2).

10. Renuit consolari anima mea. Memor fui Dei, et delectatus sum. (Ps 76, 3 4. — Cf. Zelus n. 21 sqq et Pax n. 16).

Constantia.

1. Confide autem in Deo, et mane in loco tuo (Eccli 11, 22).

2. Homo sanctus in sapientia manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur (Eccli 27, 12. — Cf. Perseverantia, Fortitudo et Patientia).

Consuetudo.

1. Fili peccasti? non adiicias iterum: sed et de pristinis deprecare ut tibi dimittantur (Eccli 21, 1).

2. Perversi difficile corriguntur (Eccle 1, 15).

3. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: et vos poteritis benefacere, cum dideceritis malum (Ir 13, 23. — Cf. Relapsus et Iesus Christus n. 83).

Contemptus.

(Cf. Caritas n. 64 109).

Qui spernis, nonne et ipse sperneris (Is 33, 1)?

Contemptus mundi.

(Cf. Mundus).

Contritio.

1. Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis (Lc 13, 5).

2. Nunc ergo dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, et in fletu, et in planctu (Ioel 2, 12).

3. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus et misericors est, patiens et multae misericordiae, et praestabilis super malitia (Ioel 2, 13).

4. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, et humiliatum Deus non despicies (Ps 50, 19).

5. Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrimis meis stratum meum rigabo (Ps 6, 7).

6. Delicta iuventutis meae, et ignorantias meas ne memineris (Ps 24, 7).

7. Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo: multum est enim (Ps 24, 11).

8. Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum: et sicut onus grave gravatae sunt super me (Ps 37, 5).

9. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est semper (Ps 50, 5).

10. Deus tu scis insipientiam meam: et delicta mea a te non sunt abscondita (Ps 68, 6).

11. Cinerem tamquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam (Ps 101, 10).

12. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiae tuae: quia pauperes facti sumus nimis (Ps 78, 8).

13. Adiuva nos Deus salutaris noster: et propter gloriam nominis tui Domine libera nos: et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum (Ps 78, 9).

14. Et egressus foras, flevit amare (Mt 26, 75. — Cf. Passio n. 160).

Conversatio.

(Cf. Discretio).

1. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad aedificationem fidei ut det gratiam audientibus (Eph 4, 29).

2. Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos (Eph 5, 3):

3. Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet: sed magis gratiarum actio (Eph 5, 4. — Cf. Doctrina perversa n. 9).

4. Ex verbis enim tuis iustificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis (Mt 12, 37).

5. Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur. Qui de coelo venit, super omnes est (Io 3, 31).

6. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur (Mt 12, 34).

7. Bonus homo de bono thesauro profert bona: et malus homo de malo thesauro profert mala (Mt 12, 35).

8. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, et commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo (Col 3, 16).

9. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere (Col 4, 6).

10. Nostra autem conversatio in coelis est (Phil 3, 20. — Cf. Eucharistia n. 40).

11. Si quis loquitur, quasi sermones Dei (1 Petr 4, 11. — Cf. Mansuetudo n. 6 7).

Conversio.

1. *Necessitas.* Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua (Eccli 17, 21).

2. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse (Is 1, 16).

3. Et... si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt (Is 1, 18).

4. Lava a malitia cor tuum Ierusalem, ut salva fias: usquequo morabuntur in te cogitationes noxiae (Ir 4, 14)?

5. *Possibilitas.* Quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae (Mt 3, 9).

6. Multi ab Oriente, et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Iacob in regno coelorum (Mt 8, 11. — Cf. Humilitas n. 10).

7. Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea mea (Mt 21, 28).

8. Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem, poenitentia motus, abiit (Mt 21, 29).

9. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo, domine, et non ivit (Mt 21, 30).

10. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Iesus: Amen dico vobis, quia publicani, et meretrices praecedent vos in regnum Dei (Mt 21, 31).

11. Venit enim ad vos Ioannes in via iustitiae, et non credidistis ei: publicani autem, et meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec poenitentiam habuistis postea, ut crederetis ei (Mt 21, 32).

12. Iesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longe a regno Dei (Mc 12, 34).

13. *Conversionis facilitas.* Convertimini ad me, ait Dominus exercituum: et convertar ad vos (Za 1, 3).

14. Revertar ad Ierusalem in misericordiis: et domus mea aedificabitur in ea (Za 1, 16. — Cf. Misericordia n. 13 sqq).

15. Quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortem morientis, ... revertimini, et vivite (Ez 18, 31 32).

16. Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, et coenabo cum illo, et ipse mecum (Apc 3, 20. — Cf. Salus n. 10 11).

17. *Conversio fit per orationem.* Sana me Domine, et sanabor: salvum me fac, et salvus ero: quoniam laus mea tu es (Ir 17, 14).

18. Converte me, et convertar: quia tu Dominus Deus meus (Ir 31, 18).

19. Converte nos Domine ad te, et convertemur (Thr 5, 21).

20. Deus converte nos: et ostende faciem tuam, et salvi erimus (Ps 79, 4).

21. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es (Ib 14, 4)?

22. *In quo consistat?* Venerunt autem et publicani ut baptizarentur, et dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus (Lc 3, 12)?

23. At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis (Lc 3, 13. — Cf. Restitutio. — Paulus n. 1 sqq. — Zelus n. 20 sqq).

24. *Gaudium de conversione.* In exitu Israel de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro (Ps 113, 1).

25. Montes exsultaverunt ut arietes: et colles sicut agni ovium (Ps 113, 4).

26. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, et nos liberati sumus (Ps 123, 7. — Cf. Misericordia n. 17 sqq).

27. Et hoc scientes tempus: quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus (Rom 13, 11).

28. Nox praecessit, dies autem appropinquavit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis (Rom 13, 12. — Cf. Iustus n. 2).

29. *Conversionis dilatio.* Et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur (Eccli 5, 6).

30. Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem (Eccli 5, 8).

31. Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies (Pro 27, 1).

32. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te (Eccli 5, 9).

33. Quaerite Dominum, dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est (Is 55, 6. — Cf. Iuvenes n. 1 sqq).

34. Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam: quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae. Et ecce plus quam Ionas hic (Mt 12, 41).

35. Regina austri surget in iudicio cum generatione ista, et condemnabit eam: quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quam Salomon hic (Mt 12, 42).

36. An divitias bonitatis eius, et patientiae, et longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit (Rom 2, 4)?

37. Secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis iusti iudicii Dei (Rom 2, 5. — Cf. Peccatum n. 63. — Peccator. — Iesus Christus n. 83. — Poenitentia n. 6, sqq).

Cor.

1. Pravum est cor omnium, et inscrutabile: quis cognoscet illud (Ir 17, 9)?

2. Abominabile Domino cor pravum (Pro 11, 20).

3. Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit (Pro 4, 23).

4. Deus aemulator, et ulciscens Dominus (Nah 1, 2. — Cf. Caritas n. 34 sq, et n. 38).

5. Non des mulieri potestatem animae

tuae, ne ingrediatur in virtutem tuam, et confundaris (Eccli 9, 2. — Cf. Cultus Dei n. 6).

6. Quae autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem (Mt 15, 18).

7. De corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae (Mt 15, 19).

8. Haec sunt, quae coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem (Mt 15, 20).

9. Ex abundantia enim cordis os loquitur (Lc 6, 45).

Cor Iesu.

Cf. Passio n. 157 et Iesus Christus n. 50 usque ad n. 94. — Caritas n. 1 sqq. — Misericordia).

Correctio.

1. Fratres, et si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris (Gal 6, 1).

2. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum (Mt 18, 15).

3. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum (Mt 18, 16).

4. Quod si non audierit eos: dic Ecclesiae (Mt 18, 17).

5. Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus (Pro 27, 5. — Cf. Adulatio n. 2 3).

6. Qui parcit virgae, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit (Pro 13, 24. — Cf. Parentes n. 23).

7. Non amat pestilens eum, qui se corripit: nec ad sapientes graditur (Pro 15, 12).

8. Qui diligit disciplinam, diligit scientiam: qui autem odit increpationes, insipiens est (Pro 12, 1).

9. Argue sapientem, et diliget te (Pro 9, 8).

Creatio.

(Cf. Deus n. 17 sqq et n. 45).

1. Omnis... domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus est (Hebr 3, 4. — Cf. Paulus n. 11 sqq).

2. Viditque Deus cuncta quae fecerat: et erant valde bona (Gn 1, 31).

3. Opera Domini universa bona valde (Eccli 39, 21).

4. Multa abscondita sunt maiora his: pauca enim vidimus operum eius (Eccli 43, 36).

5. Quia delectasti me Domine in factura tua: et in operibus manuum tuarum exsultabo (Ps 91, 5).

6. Quam magnificata sunt opera tua Domine (Ps 91, 6)!

7. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus ut in illis ambulemus (Eph 2, 10).

8. Manus tuae fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu: et sic repente praecipitas me (Ib 10, 8)?

Creatura.

(Cf. Fiducia in creaturis n. 1 sqq).

1. Omnis caro sicut foenum veterascet, et sicut folium fructificans in arbore viridi (Eccli 14, 18).

2. Creaturae Dei... factae sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium (Sap 14, 11).

Credulitas.

1. Non omni verbo credas (Eccli 19, 16).

2. Qui credit cito, levis corde est (Eccli 19, 4).

Crux Christi.

Fecit Moyses SERPENTEM ÆNEUM.... quem cum percussi aspicerent, sanabantur (Nm 21, 9. — Cf. Passio n. 181 sq, 188 sqq. — Iesus Christus n. 194 sqq et n. 211 sqq).

Crux.

(Cf. Persecutio. — Probatio).

1. Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus (Mt 10, 38 — Cf. Abnegatio n. 1).

2. Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus (Phil 3, 18).

3. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus: scientes quod tribulatio patientiam operatur (Rom 5, 3).

4. Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam (Lc 24, 26)?

5. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei (Act 14, 21).

6. Scientes quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio vero spem (Rom 5, 3, 4),

7. Spes autem non confundit (Rom. 5, 5).

8. Existimo enim quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis (Rom 8, 18.—Cf. Coelum n. 59).

9. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: Cum enim infirmor, tunc potens sum (2 Cor 12, 10).

10. Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis (Iac 1, 2):

11. Scientes quod probatio fidei vestrae patientiam operatur (Iac 1, 3).

12. Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se (Iac 1, 12).

13. Deus autem omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque (1 Petr 5, 10).

Cultus Dei.

1. Cum autem Iesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi (Mt 26, 6), *effudit alabastrum Maria Magdalena.*

2. Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes: Ut quid perditio haec (Mt 26, 8)? Potuit enim istud venumdari multo, et dari pauperibus (Mt 26, 19).

3. Sciens autem Iesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me (Mt 26, 10).

4. Amen dico vobis, ubicumque praedicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, dicetur et quod haec fecit in memoriam eius (Mt 26, 13).

5. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quaerit, qui adorent eum (Io 4, 23).

6. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me (Mt 15, 8).

Curiositas.

1. In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter (Eccli 3, 24. — Cf. Paulus 8).

2. Egressa est autem Dina filia Liae ut videret mulieres regionis illius. Quam cum vidisset Sichem... rapuit... vi opprimens virginem (Gn 34, 1, 2).



D

Daemon.

Factum est proelium magnum in coelo: Michael, et Angeli eius proeliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli eius (Apc 12, 7).

2. Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in coelo (Apc 12, 8).

3. Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et satanas, qui seducit universum orbem: et proiectus est in terram, et angeli eius cum illo missi sunt (Apc 12, 9).

4. Ait illis: Videbam satanam sicut fulgur de coelo cadentem (Lc 10, 18).

5. Quomodo cecidisti de coelo Lucifer, qui mane oriebaris (Is 14, 12)?

6. Qui dicebas in corde tuo: In coelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum (Is 14, 13).

7. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (Is 14, 14).

8. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci (Is 14, 15).

9. Vos ex patre diabolo estis: et desideria patris vestri vultis facere; ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit...... Mendax est, et pater eius (Io 8, 44).

10. *Deus cohibet daemones:* Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva (Ib 2, 6).

11. Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa eius diripere, nisi prius alligaverit fortem? et tunc domum illius diripiet (Mt 12, 29).

12. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici: et nihil vobis nocebit (Lc 10, 19).

13. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras (Io 12, 31. — Cf. Illusio).

Debita.

1. Redde proximo in tempore suo (Eccli 29, 2).

2. Donec accipiant, osculantur manus dantis, et in promissionibus humiliant vocem suam (Eccli 29, 5):

3. Et in tempore redditionis postulabit tempus, et loquetur verba taedii et murmurationum, et tempus causabitur (Eccli 29, 6).

4. Nemini quidquam debeatis: nisi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit (Rom 13, 8).

Desideria.

(Cf. Beatitudines n. 6).

1. *Bona.* Initium enim illius *(sapientiae)* verrissima est disciplinae concupiscentia (Sap. 6, 18).

2. Veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem (Dan 9, 23. — Cf. Messias n. 1).

3. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, et alius est qui metit (Io 4, 37).

4. Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis (Io 4, 38).

5. *Mala.* Non concupisces domum proximi tui: nec desiderabis uxorem eius, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum,

nec omnia quae illius sunt (Ex 20, 17).

Desperatio.

(Cf. Spes, Fiducia).

1. Dixitque Cain ad Dominum: Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear (Gn 4, 13).

2. Si desperaveris lassus in die angustiae: imminuetur fortitudo tua (Pro 24, 10).

3. Desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis in avaritiam (Eph 4, 19).

Detractio.

1. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium (Ex 20, 16).

2. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit (Eccle 10, 11).

3. Et a detractione parcite linguae, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit (Sap 1, 11).

4. Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet (Eccli 19, 10).

5. Qui celat delictum, quaerit amicitias: qui altero sermone repetit, separat foederatos (Pro 17, 9).

6. Sex sunt, quae odit Dominus, et septimum detestatur anima eius (Pro 6, 16):

7. Proferentem mendacia testem fallacem, et eum, qui seminat inter fratres discordias (Pro 6, 19).

8. Susurro et bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes (Eccli 28, 15).

9. Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, et ori tuo facito ostia, et seras (Eccli 28, 28. — Cf. Silentium n. 2).

10. Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem (Pro 25, 23).

Deus.

1. *Cognitio Dei.* Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex (Sap 13, 1).

2. Quorum si specie delectati, deos putaverunt: sciant quanto his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator haec omnia constituit (Sap 13, 3).

3. A magnitudine enim speciei, et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri (Sap 13, 5).

4. Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis (Ir 9, 23):

5. Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, et iudicium, et iustitiam in terra.... (Ir 9, 24).

6. Nosse enim te, consummata iustitia est: et scire iustitiam, et virtutem tuam, radix est immortalitatis (Sap 15, 3. — Cf. infra n. 47).

7. Haec est autem vita aeterna: Ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum (Io 17, 3).

8. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, et divinitas: ita ut sint inexcusabiles (Rom 1, 20).

9. In hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata eius observemus (1 Io 2, 3).

10. Qui dicit se nosse eum, et mandata eius non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est (1 Io 2, 4).

11. *Nomen Dei.* Sanc-

tum, et terribile nomen eius (Ps 110, 9).

12. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, et usque in saeculum (Ps 112, 2).

13. Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo (Is 42, 8).

14. Dixit Deus ad Moysen: EGO SUM QUI SUM... Sic dices filiis Israel: QUI EST, misit me ad vos (Ex 3, 14).

15. Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me (Dt 32, 39).

16. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata est magnificentia tua, super coelos (Ps 8, 2).

17. *Creator.* Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum (Ps 18, 2).

18. Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam (Ps 18, 3).

19. In principio creavit Deus coelum et terram (Gn 1, 1).

20. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux (Gn 1, 3).

21. Quoniam ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt (Ps 32, 9).

22. Quis appendit tribus digitis molem terrae, et libravit in pondere montes, et colles in statera (Is 40, 12)?

23. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus est (Hebr 3, 4).

24. Ludens in orbe terrarum (Pro 8, 31).

25. Dixit ad eos (*mater Machabaeorum*): Nescio qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi, sed enim mundi Creator (2 Mach 7, 22 23).

26. Et nunc Domine, pater noster es tu, nos

vero lutum: et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos (Is 64, 8).

27. *Dei potentia.* Et si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas (Ib 40, 4)?

28. Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? omnia quae sub coelo sunt, mea sunt (Ib 41, 2).

29. Columnae coeli contremiscunt, et pavent ad nutum eius (Ib 26, 11).

30. Ecce coelum, et coeli coelorum, abyssus, et universa terra, et quae in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur (Eccli 16, 18),

31. Montes simul, et colles, et fundmenta terrae: cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur (Eccli 16, 19).

32. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum, et inane reputatae sunt ei (Is 40, 17).

33. Qui sedet super gyrum terrae, et habitatores eius sunt quasi locustae: qui extendit velut nihilum coelos, et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum (Is 40, 22).

34. Qui respicit terram, et facit eam tremere: qui tangit montes, et fumigant (Ps 103, 32).

35. Qui numerat multitudinem stellarum: et omnibus eis nomina vocat (Ps 146, 4).

36. Vocatae sunt, et dixerunt: Adsumus: et luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas (Bar 3, 35).

37. Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos (Ib 38, 11).

38. Et tenuisti concutiens extrema terrae, et excussisti impios ex ea (Ib 38, 13)?

39. Ego occidam, et ego vivere faciam: percutiam, et ego sanabo, et non est qui de manu mea possit eruere (Dt 32, 39).

40. Tu es enim, Do-

mine, qui vitae et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis, et reducis (Sap 16, 13).

41. Sed tuam manum effugere impossibile est (Sap 16, 15).

Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio (Ib 42, 2).

42. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum (Pro 21, 30).

Ecce non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat (Is 59, 1).

43. *Gubernator*. (Cf. Providentia et Paulus n. 13 sq). Tua autem, Pater, providentia gubernat (Sap 14, 3). Ordinatione tua perseverat dies (Ps 118, 91).

44. Quam magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua (Ps 103, 24. — Cf. Creatio).

45. *Æternus*. Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, et orbis: a saeculo et usque in saeculum tu es Deus (Ps 89, 2).

46. Ego sum *alpha*, et *omega*, principium, et finis, dicit Dominus Deus: qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotens (Apc 1, 8).

47. Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram: numerus annorum eius inaestimabilis (Ib 36, 26).

48. *Immutabilis*. Ego enim Dominus, et non mutor (Mal 3, 6).

49. Opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur (Ps 101, 26 27):

50. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient (Ps 101, 28).

51 *Sanctus*. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad

iniquitatem non poteris (Hab 1, 13).

52. Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem (Ib 4, 18). Et coeli non sunt mundi in conspectu eius (Ib 15, 15).

53. Non est sanctus, ut est Dominus (1 Reg 2, 2).

54. *Immensus*. Coeli coelorum te capere non possunt (3 Reg 8, 27).

55. Numquid non coelum et terram ego impleo, dicit Dominus (Ir 23, 24)?

56. *Iustus*. Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt (Pro 8, 15):

Per me principes imperant, et potentes decernunt iustitiam (Pro 8, 16. — Cf. Iudicium n. 6).

57. Pater iuste, mundus te non cognovit: ego autem te cognovi: et hi cognoverunt, quia tu me misisti (Io 17, 25).

58. Iustus es Domine: et rectum iudicium tuum (Ps 118, 137). Reddet unicuique secundum opera eius (Rom 2, 6).

59. Cum electo electus eris: et cum perverso perverteris (Ps 17, 27).

60. Iustitia tua sicut montes Dei: iudicia tua abyssus multa (Ps 35, 7).

61. *Terribilis*. Venite, et videte opera Dei: terribilis in consiliis super filios hominum (Ps 65, 5).

62. *(Ioannes)* Dicebat ergo ad turbas quae exibant ut baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum quis ostendit vobis fugere a ventura ira (Lc 3, 7)?

63. Cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus (Ir 49, 16).

64. Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dominus (Abd 4).

65. Si descenderint

usque ad infernum, inde manus mea educet eos (Am 9, 2).

66. Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos: et si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, et mordebit eos (Am 9, 3).

67. Unum vero hoc non lateat vos, carissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus (2 Petr 3, 8).

68. Cum feceris iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores orbis (Is 26, 9).

69. Ante faciem indignationis eius quis stabit? et quis resistet in ira furoris eius? indignatio eius effusa est ut ignis: et petrae dissolutae sunt ab eo (Nah 1, 6).

70. *Dei consilia.* O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius (Rom 11, 33)!

71. Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit (Rom 11, 34)?

72. Nimis profundae factae sunt cogitationes tuae. Vir insipiens non cognoscet: et stultus non intelliget haec (Ps 91, 6 7).

73. Cogitationes enim mortalium timidae, et incertae providentiae nostrae (Sap 9, 14).

74. Non enim cogitationes meae, cogitationes vestrae: neque viae vestrae, viae meae, dicit Dominus (Is 55, 8).

75. Sed melius est ut incidam in manus Domini (multae enim misericordiae eius sunt), quam in manus hominum (2 Reg 24, 14).

76. *Bonus.* Nemo bonus nisi solus Deus (Lc 18, 19. — Cf. Mandata Dei n. 4 5 et Intentio n. 2).

77. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos (Is 66, 13. — Cf. Misericordia et Providentia).

78. *Omniscius.* Cognovit enim Dominus omnem scientiam (Eccli 42, 19).

Repleta est terra scientia Domini (Is 11, 9).

Deus scientiarum, Dominus est (1 Reg 2, 3. — Cf. Prophetia).

79. *Verax.* Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax... (Rom 3, 4). Non est Deus quasi homo, ut mentiatur... Locutus est, et non implebit (Nm 23, 19)? Si non credimus, ille fidelis permanet (2 Tim 2, 13).

80. *Magnus.* Magnus Dominus, et laudabilis nimis: in civitate Dei nostri, in monte sancto eius (Ps 47, 2).

81. O Israel quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis eius (Bar 3, 24)!

82. Magnus est, et non habet finem: excelsus et immensus (Bar 3, 25).

83. *Ergo adorandus.* Dominum Deum tuum aborabis, et illi soli servies (Mt 4, 10).

84. *Ergo laudandus.* Sacramentum regis abscondere bonum est: opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est (Tob 12, 7).

85. Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantum potestis: maior enim est omni laude (Eccli 43, 33).

86. Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos (Ps 95, 4).

87. Secundum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terrae: iustitia plena est dextera tua (Ps 47, 11).

88. Deus quis similis tibi (Ps 70, 19)?

89. *Illi serviendum.* (Cf. Mandata divina n. 42. — Parentes n. 14). Quid prodest Deo si iustus fueris? aut quid ei confers si immacu-

lata fuerit via tua (Ib 22, 3)?

90. In Deo salutare meum, et gloria mea: Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est (Ps 61, 8).

91. Nonne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum (Ps 61, 2).

29. Quis est homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos (Ps 33, 13)? Diverte a malo, et fac bonum...(Ps 33, 15).

93. Fili mi, ne obliviscaris legis meae, et pracepta mea cor tuum custodiat (Pro 3, 1).

94. Longitudinem enim dierum, et annos vitae, et pacem apponent tibi (Pro 3, 2).

95. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit (Ps 1, 1):

96. Sed in lege Domini voluntas eius, et in lege eius meditabitur die ac nocte (Ps 1, 2).

97. Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: Et folium eius non defluet: et omnia quaecumque faciet, prosperabuntur (Ps 1, 3).

98. Non sic impii, non sic: sed tamquam pulvis, quem proiicit ventus a facie terrae (Ps 1, 4).

99. Gloria magna est sequi Dominum (Eccli 23, 38).

100. Funes ceciderunt mihi in praeclaris: etenim haereditas mea praeclara est mihi (Ps 15, 6. — Cf. Clerici n. 1).

101. Da Altissimo secundum datum eius ....Quoniam Dominus retribuens est, et septies tantum reddet tibi (Eccli 35, 12 13).

102. Si quis mihi ministrat, me sequatur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus (Io 12, 26).

103. Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus: ut scias simul ubi sit longiturnitas vitae et victus, ubi sit lumen oculorum, et pax (Bar 3, 14).

104. Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget: aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire, et mammonae (Mt 6, 24).

105. Tollite iugum meum super vos....... Iugum enim meum suave est, et onus meum leve (Mt 11, 29 30. — Cf. Humilitas n. 1).

Timendus (Cf. Timor).

Invocandus. (Cf. Oratio).

106. *Quærendus.* Si quaeritis, quaerite (Is 21, 12. — Cf. Conversio n. 33. — Paulus n. 14).

107. Quaeritis me, et invenietis: cum quaesieritis me in toto corde vestro (Ir 29, 13).

108. Si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos (2 Par 15, 2).

109. In lectulo meo per noctes quaesivi quem diligit anima mea: quaesivi illum, et non inveni. Surgam, et circuibo civitatem: per vicos et plateas quaeram quem diligit anima mea: quaesivi illum, et non inveni (Cant 3, 1 2).

110. *Deus diligendus* (Cf. Caritas II et Humilitas n. 28).

Devotio.

(Cf. Pietas).

1. Omnis ergo, qui audit verba mea haec, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram (Mt 7, 24),

2. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat super petram (Mt 7, 25).

3. Et omnis, qui audit verba mea haec, et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ae-

dificavit domum suam super arenam (Mt 7, 26).

4. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna (Mt 7, 27).

Directio.

1. A Domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest viam suam (Pro 20, 24)?

2. Causam tuam tracta cum amico tuo, et secretum extraneo ne reveles (Pro 25, 9).

3. Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille (Eccli 6, 6).

4. Fili sine consilio nihil facias, et post factum non poenitebis (Eccli 32, 24).

5. Sed cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei (Eccli 37, 15),

6. Cuius anima est secundum animam tuam: et qui, cum titubaveris in tenebris, condolebit tibi (Eccli 37, 16.— Cf. Præsumptio).

Director animarum.

1. Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius a vestimento, et peior scissura fit (Mt 9, 16).

2. Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, et vinum effunditur, et utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, et ambo conservantur (Mt 9, 17).

Ne imponas ergo onera importabilia, habita ratione infirmitatis.

3. Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo (Io 16, 12.— Cf. Opportunitas. — Prudentia. — Concionator n. 17).

Discordia.

(Cf. Concordia).

Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit (Mt 13, 25. — Cf. Detractio n. 3 sqq).

Discretio.

(Cf. Multiloqium. — Silentium).

1. In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua prudentissimus est (Pro 10, 19).

2. Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala (Pro 13, 3).

3. Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur (Pro 17, 28).

4. Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, et confusione dignum (Pro 18, 13).

5. Qui custodit os suum, et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam (Pro 21, 23).

6. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo (Pro 25, 11).

7. Totum spiritum suum profert stultus: sapiens differt, et reservat in posterum (Pro 29, 11).

8. In lingua enim sapientia dignoscitur: et sensus, et scientia, et doctrina in verbo sensati (Eccli 4, 29).

9. Honor et gloria in sermone sensati, lingua vero imprudentis subversio est ipsius (Eccli 5, 15).

10. Ante iudicium para iustitiam tibi, et antequam loquaris disce (Eccli 18, 19).

11. Qui denudat arcana amici, fidem perdit, et non inveniet amicum ad animum suum (Eccli 27, 17).

12. Et sicut qui dimittit avem de manu sua, sic dereliquisti proximum tuum, et non

eum capies (Eccli 27, 21).

13. Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia (Eccli 32, 9).

14. Adolescens loquere in tua causa vix (Eccli 32, 10).

15. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum (Eccli 32, 11).

16. Ipsum interrogate: aetatem habet, ipse de se loquatur (Io 9, 21).

17. Pone Domine custodiam ori meo: et ostium circumstantiae labiis meis (Ps 140, 3).

Divites.

(Cf. Pauperes).

1. Benedictio Domini divites facit (Pro 10, 22).

Divitibus huius saeculi praecipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum) (1 Tim 6, 17).

2. Bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare (1 Tim 6, 18),

3. Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam (1 Tim 6, 19).

4. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt homines in interitum, et perditionem (1 Tim 6, 9).

5. Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno (Lc 16, 22).

6. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu eius (Lc 16, 23):

7. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma (Lc 16, 24).

8. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris (Lc 16, 25):

9. Et in his omnibus inter nos, et vos chaos magnum firmatum est: ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare (Lc 16, 26).

10. Et ait: Rogo ergo te pater ut mittas eum in domum patris mei (Lc 16, 27).

11. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum (Lc 16, 28).

12. Et ait illi Abraham: Habent Moysen, et prophetas: audiant illos (Lc 16, 29).

13. At ille dixit: Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, poenitentiam agent (Lc 16, 30).

14. Ait autem illi: Si Moysen, et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent (Lc 16, 31).

Divitiae.

1. Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere: divitiae si affluant, nolite cor apponere (Ps 61, 11. — Cf. Deus n. 104. — Mors n. 14. — Mali n. 8 9).

2. Pecuniae obediunt omnia (Eccle 10, 19).

3. Non proderunt divitiae in die ultionis: iustitia autem liberabit a morte (Pro 11, 4).

4. Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit? (Pro 17, 16. — Cf. Ambitio n. 2)

5. Qui autem festinat ditari, non erit innocens (Pro 28, 20).

Multos enim perdidit aurum et argentum (Eccli 8, 3).

6. Mendicitatem, et

divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria (Pro 30, 8).

7. Beatus dives, qui inventus est sine macula: et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua (Eccli 31, 8 9).

8. Iesus dixit ... Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum (Mt 19, 23).

9. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum (Mt 19, 24. — Cf. Otiositas n. 2).

10. Aspiciens autem Iesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt (Mt 19, 26).

11. Verumtamen vae vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram (Lc 6, 24).

12. *Ait dominus villico:* Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuae: iam enim non poteris villicare (Lc 16, 2).

13. Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt (Lc 16, 8).

14. Et ego vobis dico: facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut, cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula (Lc 16, 9. — Cf. Actiones n. 2).

Docilitas.

(Cf. Obstinatio).

1. Audiens sapiens, sapientior erit: et intelligens, gubernacula possidebit (Pro 1. 5).

2. Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia (Pro 12, 15).

3. Sit autem omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram (Iac 1, 19).

Doctores.

(Cf. Mandata Dei n. 3. — Sacerdos n. 41 sqq; n. 58 sqq; n. 66).

Doctrina Bona.

(Cf. Catechismus).

Doctrina perversa.

(Cf. Haereses. — Impii).

1. Vae qui dicitis malum bonum, et bonum malum: ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum (Is 5, 20).

2. Et dixit Dominus ad me: Falso prophetae vaticinantur in nomine meo: non misi eos, et non praecepi eis, neque locutus sum ad eos: visionem mendacem, et divinationem, et fraudulentiam, et seductionem cordis sui prophetant vobis (Ir 14, 14).

3. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces (Mt 7, 15).

4. A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus (Mt 7, 16)?

5. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit (Mt 7, 17).

6. Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere (Mt 7, 18).

7. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, et mandata hominum (Mt 15, 9).

8. Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis (Io 5, 43. — Cf. Daemon n. 9).

9. Nolite seduci: Corrumpunt mores bonos colloquia mala (1 Cor 15, 33).

10. Volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quae loquuntur, neque de qui-

bus affirmant (1 Tim 1, 7).

11. Ipsi de mundo sunt: ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit (1 Io 4, 5).

12. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi (Act 20, 29).

13. Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se (Act 20, 30).

14. Propter quod vigilate memoria retinentes, quoniam per triennium nocte et die non cessavi, cum lacrimis monens unumquemque vestrum (Act 20, 31).

Domini.

(Cf. Servi n. 11).

1. Oculi mei ad fideles terrae ut sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat (Ps 100, 6).

2. Qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem (Pro 29, 21).

3. Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta (Eccli 33, 31).

4. Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia et illorum, et vester Dominus est in cœlis: et personarum acceptio non est apud eum (Eph 6, 9).

5. Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior (1 Tim 5, 8).

6. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quae fraudata est a vobis, clamat: et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit (Iac 5, 4).

7. Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo (Phm 10),

8. Qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem et mihi, et tibi utilis (Phm 11),

9. Quem remisi tibi. Tu autem illum, ut mea viscera, suscipe (Phm 12).

10. Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut aeternum illum reciperes (Phm 15):

11. Iam non ut servum, sed pro servo carissimum fratrem, maxime mihi: quanto autem magis tibi et in carne, et in Domino (Phm 16)?

12. Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet: hoc mihi imputa (Phm 18).

Dominica.

1. Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat (Gn 2, 2).

2. Et benedixit diei septimo; et sanctificavit illum: quia in ipso cessaverat ab omni opere suo (Gn 2, 3).

3. Memento ut diem sabbati sanctifices (Ex 20, 8),

4. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua (Ex 20, 9).

5. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, iumentum tuum, et advena qui est intra portas tuas (Ex 20, 10).

6. *De colligente ligna in die Sabbati,* dixit Dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba (Nm 15, 35. — Cf. Impii n. 5).

Duritia cordis.

(Cf. Indurati).



E

Ebrietas.

1. Luxuriosa res, vinum (Pro 20, 1).
2. Qui amat vinum, et pinguia, non ditabitur (Pro 21, 17).
3. Cui vae? cuius patri vae? cui rixae? cui foveae? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? (Pro 23, 29).
4. Nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis (Pro 23, 30)?
5. Operarius ebriosus non locupletabitur Eccli 19, 1).
6. Vinum multum potatum irritationem, et iram, et ruinas multas facit (Eccli 31, 38).
7. Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes (Eccli 19, 2).
8. Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino aestuetis (Is 5, 11).

Ecclesia.

(Cf. Templum).

Ecclesia Christi.

1. *Ecclesiæ prophetia.* In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, et consumet universa regna haec: et ipsum stabit in aeternum (Dan 2, 44).

2. *Christus instituit.* Et accedens Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra (Mt 28, 18).

3. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (Mt 28, 19):
4. Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi (Mt 28, 20).
5. Ergo iam non estis hospites, et advenae: sed estis cives sanctorum, et domestici Dei (Eph 2, 19):
6. Superaedificati super fundamentum Apostolorum, et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu (Eph 2, 20).
7. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, et doctores (Eph 4, 11).
8. *Profecit.* Aliam parabolam proposuit eis, dicens: Simile est regnum coelorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo (Mt 13, 31):
9. Quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creverit, maius est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres coeli veniant, et habitent in ramis eius (Mt 13, 32).
10. Aliam parabolam locutus est eis. Simile est regnum coelorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae satis tribus donec fermentatum est totum (Mt 13, 33).
11. *Eius doctrina.* (Cf. Fides). Ut iam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris (Eph 4, 14).
12. Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis (1 Tim 3, 15).
13. *Ecclesiae pulchritudo.* Quam pulchra tabernacula tua Iacob, et tentoria tua Israël (Nm 24, 5)!

14. Ut valles nemorosae, ut horti iuxta fluvios irrigui, ut tabernacula quae fixit Dominus, quasi cedri prope aquas (Nm 24, 6).

15. Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea (Eph 5, 25),

16. Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata (Eph 5, 27).

17. Si autem Ecclesiam non audierit: sit tibi sicut ethnicus, et publicanus (Mt 18, 17).

18. Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me (Lc 10, 16. — Cf. Pastor bonus n. 3 sqq).

19. *In ea boni et mali.* Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est regnum coelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo (Mt 13, 24. — Cf. Discordia).

20. Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania (Mt 13, 26).

21. Accedentes autem servi patris familias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania (Mt 13, 27)?

22. Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, et colligimus ea (Mt 13, 28)?

23. Et ait: Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum (Mt 13, 29).

24. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos, ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum (Mt 13, 30).

25. Qui respondens ait illis: Qui seminat bonum semen, est Filius hominis (Mt 13, 37).

26. Ager autem est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni. Zizania autem, filii sunt nequam (Mt 13, 38).

27. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus. Messis vero consummatio saeculi est. Messores autem Angeli sunt (Mt 13, 39).

28. Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur: sic erit in consummatione saeculi (Mt 13, 40).

29. Iterum simile est regnum coelorum sagenae missae in mare, et ex omni genere piscium congreganti (Mt 13, 47).

30. Quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt (Mt 13, 48).

31. Sic erit in consummatione saeculi: exibunt Angeli, et separabunt malos de medio iustorum (Mt 13, 49).

32. Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, et stridor dentium (Mt 13, 50).

Electi.

1. Intrate per angustam portam: quia lata porta, et spatiosa via est, quae ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam (Mt 7, 13).

2. Quam angusta porta, et arcta via est, quae ducit ad vitam: et pauci sunt, qui inveniunt eam (Mt 7, 14)!

3. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi (Mt 20, 16).

4. Iacob dilexi, Esau autem odio habui (Rom 9, 13).

5. Crediderunt quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam (Act 13, 48).

6. In hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autem, quod no-

mina vestra scripta sunt in coelis (Lc 10, 20. — Cf. Vocatio n. 9).

Eleemosyna.

1. *Praecepta.* Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini (Tob 4, 7).

2. Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius (Eccli 29, 2).

3. Frange esurienti panem tuum, et egenos, vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris (Is 58, 7).

4. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet: clamabis, et dicet: Ecce adsum (Is 58, 9).

5. Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum (Dan 4, 24).

6. Qui petit a te, da ei: et volenti mutuari a te, ne avertaris (Mt 5, 42).

7. Qui habet duas tunicas, det non habenti, et qui habet escas, similiter faciat (Lc 3, 11).

8. Dicebat autem et ei, qui se invitaverat: Cum facis prandium, aut coenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites: ne forte te et ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio (Lc 14, 12).

9. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudes, et caecos (Lc 14, 13):

10. Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum (Lc 14, 14).

11. Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo? (1 Io 3, 17. — Cf. Otiositas n. 2)

12. *Utilis.* Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam aeternam (Tob 12, 9. — Cf. Opera bona n. 3).

13. Beatus qui intelligit super egenum, et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus (Ps 40, 2. — Cf. Divitiae n. 14).

14. Foeneratur Domino qui miseretur pauperis: et vicissitudinem suam reddet ei (Pro 19, 17. — Cf. Caritas n. 108).

15. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur (Pro 21, 13).

16. Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis (Eccli 3, 33).

17. Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam (Mt 10, 42).

18. Illi cum venissent ad Iesum, rogabant eum sollicite, dicentes ei: Quia dignus est ut hoc illi praestes (Lc 7, 4).

19. Diligit enim gentem nostram: et synagogam ipse aedificavit nobis (Lc 7, 5).

20. Verumtamen quod superest, date eleemosynam: et ecce omnia munda sunt vobis (Lc 11, 41).

21. *Quomodo facienda.* Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude (Tob 4, 9, — Cf. Caritas n. 118 sqq).

22. Vere dico vobis, quia vidua haec pauper, plus quam omnes misit (Lc 21, 3).

23. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: haec autem ex eo, quod deest illi, omnem victum suum, quem ha

buit, misit (Lc 21, 4).

24. Ne dicas amico tuo: Vade et revertere: cras dabo tibi: cum statim possis dare (Pro 3, 28).

25. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta (Eccli 4, 36).

26. In omni dato non des tristitiam verbi mali (Eccli 18, 15).

27. Nonne ardorem refrigerabit ros? sic et verbum melius quam datum (Eccli 18, 16).

28. Oportet .... meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere (Act 20, 35).

29. Hoc autem dico: Qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet (2 Cor 9, 6).

30. Hilarem enim datorem diligit Deus (2 Cor 9, 7).

Epiphania.

1. Orietur Stella ex Iacob, et consurget virga de Israel (Nm 24, 17).

2. Surge illuminare Ierusalem: quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est (Is 60, 1).

3. Quia ecce tenebrae operient terram, et caligo populos: super te autem orietur Dominus, et gloria eius in te videbitur (Is 60, 2).

4. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui (Is 60, 3).

5. Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, et filiae tuae de latere surgent (Is 60, 4).

6. Tunc videbis, et afflues, mirabitur et dilatabitur cor tuum quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi (Is 60, 5):

7, Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha: omnes de Saba venient,

aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes (Is 60, 6).

8. Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam (Mt 2, 1),

9. Dicentes: Ubi est qui natus est rex Iudaeorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, et venimus adorare eum (Mt 2, 2).

10. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre eius, et procidentes adoraverunt eum: et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham (Mt 2, 11).

11. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam (Mt 2, 12).

Episcopatus Episcopus.

(Cf. Pastor bonus — Sacerdos).

1. Fidelis sermo: Si quis episcopatum desiderat (1 Tim 3, 1).

2. Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem (1 Tim 3, 2).

3. Si quis autem domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit (1 Tim 3, 5)?

4. Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo (Act 20, 28).

Eucharistia.

1. *Promissio institutionis.* Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis (Io 6, 27).

2. Ego sum panis vitae: qui venit ad me, non esuriet: et qui credit in me, non sitiet unquam (Io 6, 35).

3. Patres vestri manducaverunt manna in

deserto, et **mortui sunt** (Io 6, 49).

4. Hic est panis de cœlo descendens: ut si quis ex ipso manduverit, non moriatur (Io 6, 50).

5. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi (Io 6, 51).

6. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita (Io 6, 52).

7. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam: et ego ressuscitabo eum in novissimo die (Io 6, 55).

8. Caro enim mea, vere est cibus: et sanguis meus, vere est potus (Io 6, 56).

9. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo (Io 6, 57).

10. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me (Io 6, 58).

11. Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum (Io 6, 59).

12. Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire (Io 6, 61)?

13. Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quidquam: verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt (Io 6, 64).

14. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos (Io 14, 18).

15. *Institutio*. Et ait illis: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar (Lc 22, 15).

16. Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite: hoc est corpus meum (Mt 26, 26).

17. Et accipiens calicem gratias egit: et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes (Mt 26, 27).

18. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum (Mt 26, 28).

19. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est (1 Cor 10, 16)?

20. *Praesentia realis*. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi (Mt 28, 20).

21. Deliciae meae esse, cum filiis hominum (Pro 8, 31).

22. Respondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis (Io 1, 26. — Cf. Visitatio S. S. Sacramenti).

23. Nec est alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris (Dt 4, 7. — Cf. Templum n. 17).

24. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator (Is 45, 15).

25. *Communicandi necessitas*. Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei, et altilia occisa sunt, et omnia parata: venite ad nuptias (Mt 22, 4).

26. Et ait dominus servo: Exi in vias, et sepes: et compelle intrare, ut impleatur domus mea (Lc 14, 23).

27. Et egressi servi eius in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos et bonos: et impletae sunt nuptiae discumbentium (Mt 22, 10).

28 *(Ad Eliam)* Reversusque est Angelus

Domini secundo, et tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede: grandis enim tibi restat via (3 Reg 19, 7).

29. Comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb (3 Reg 19. 8).

30. Percussus sum ut foenum, et aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum (Ps 101, 5).

31. Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem (Pro 9, 1).

32. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam (Pro 9, 2).

33. Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis (Pro 9, 5).

34. Improperium expectavit cor meum, et miseriam. Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni (Ps 68, 21).

35. Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis (Io 6, 54).

36. *Utilitas.* Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum eius: salva ero (Mt 9, 21).

37. Et cum venisset ad locum, suscipiens Iesus vidit illum, et dixit ad eum: Zachaee festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere (Lc 19, 5).

38. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens (Lc 19, 6).

39. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est: eo quod et ipse filius sit Abrahae (Lc 19, 9).

40. Dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas (Lc 24, 32)?

41. Quid enim bonum eius est, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines (Za 9, 17)?

42. *Excellentia Communionis.* Cibavit eos ex adipe frumenti: et de petra, melle saturavit eos (Ps 80, 17).

43. Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus (Ps 110, 4):

44. Escam dedit timentibus se (Ps 110, 5).

45. Panem Angelorum manducavit homo: cibaria misit eis in abundantia (Ps 77, 25).

46. Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cœlo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem (Sap 16, 20).

47. *Praeparatio.* (Cf. Adventus n. 2. — Sacrilegium n. 7 sqq). Dixitque Iosue ad populum: Sanctificamini: cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia (Ios 3, 5).

48. Opus namque grande est, neque enim homini praeparatur habitatio, sed Deo (1 Par 29, 1).

49. *Humilitas.* Et respondens Centurio, ait: Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus (Mt 8, 8).

50. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic: Vade, et vadit: et alii: Veni, et venit: et servo meo: Fac hoc, et facit (Mt 8, 9).

51. Audiens autem Iesus .... dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel (Mt 8, 10).

52. Omnis vallis implebitur: et omnis mons, et collis humiliabitur: et erunt prava in directa: et aspera in vias planas (Lc 3, 5).

53. Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens:

Exi a me, quia homo peccator sum, Domine (Lc 5, 8).

54. *Fiducia.* Dicite filiae Sion: Ecce rec tu-us venit tibi mansuetus (Mt 21, 5).

55. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, et psalmum dicam (Ps 56, 8).

56. *Desiderium.* Calicem salutaris accipiam: et nomen Domini invocabo (Ps 115, 13. — Cf. Mors n. 53). — Gratias agendum — Gratitudo).

57. *Adhaerendum Christo.* Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia (Cant 2, 16).

58. Inveni quem diligit anima mea: tenui eum: nec dimittam (Cant 3, 4).

Evangelistae.

(Cf. Fides n. 9 sqq).

Evangelium.

(Cf. Iesus Christus n. 98 sqq. — Verbum Dei).

Examen conscientiae.

1. Quantas habeo iniquitates et peccata, scelera mea et delicta ostende mihi (Ib 13, 23).

2 Quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini (Ps 4, 5).

Exemplum.

(Cf. Scandalum).

1. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad aedificationem (Rom 15, 2).

2. Quia Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salvi fiunt, et in iis, qui pereunt (2 Cor 2, 15).

3. Ab omni specie mala abstinete vos (1 Thess 5, 22).

4. Qui ergo alium doces, teipsum non doces: qui praedicas non furandum, furaris (Rom 2, 21).

5. In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate (Tit 2, 7).

6. Verbum sanum, irreprehensibile: ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis (Tit 2, 8. — Cf. Sacerdos n. 84 sqq).

7. Imitatores mei estote, sicut et ego Christi (1 Cor 4, 16).

Exercitia spiritualia.

(Cf. Missiones).

1. Ait illis: Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant et redibant multi: et nec spatium manducandi habebant (Mc 6, 31).

2. Ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto (Lc 24. 49).

3. Nam cum in Persidem ducerentur patres nostri, sacerdotes.. acceptum ignem de altari occulte absconderunt in valle, ubi erat puteus altus, et siccus (2 Mach 1, 19).

4. Cum autem praeterissent anni multi, et placuit Deo ut mitteretur Nehemias a rege Persidis... misit ad requirendum ignem: et... non invenerunt ignem, sed aquam crassam (2 Mach 1, 20).

5. Et iussit eos haurire, et afferre sibi: et sacrificia, quae imposita erant, iussit sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua, et ligna, et quae erant superposita (2 Mach 1, 21).

6. Utque hoc factum est, et tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur (2 Mach 1, 22).

7. *Extinctus ignis est gratia amissa, in anima non remanet nisi lutum. Sol illuminans est verbum Dei, missio quaedam, in qua accenditur ignis magnus.*

Experientia.

1. Vir in multis expertus, cogitabit multa: et qui multa didicit, enarrabit intellectum (Eccli 34, 9).

2. Qui non est expertus, pauca recognoscit (Eccli 34, 10).



F

Fama.

1. Melius est nomen bonum, quam divitiae multae: super argentum et aurum, gratia bona (Pro 22, 1).

2. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni (Eccli 41, 15).

Fervor.

(Cf. Devotio — Pietas — Caritas n. 18 sqq).

1. Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare (Eccle 9, 10).

2....Spiritu ferventes: Domino servientes (Rom 12, 11).

Fidelitas.

(Cf. Amicitia).

In parvis. (Cf. Tepor et Peccatum veniale).

1. *Fidelitas erga Christum.* Unus Scriba, ait illi: Magister, sequar te, quocumque ieris (Mt 8, 19).

2. Dixit....Thomas.... Eamus et nos, ut moriamur cum eo (Io 11, 16. — Cf. Gratia n. 26 — Iesus Christus n. 191 sqq).

Fides.

(Cf. Revelatio).

1. *Necessitas.* Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit,

condemnabitur (Mc 16, 16).

2. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei (Io 3, 18).

3. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit (Hebr 11, 6).

4. Qui credit in Filium, habet vitam aeternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum (Io 3, 36).

5. Respondens autem Iesus, ait: O generatio incredula, et perversa, quousque ero vobiscum? usquequo patiar vos (Mt 17, 16)?

6. Si terrena dixi vobis, et non creditis: quomodo, si dixero vobis coelestia, credetis (Io 3, 12)?

7. Et nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo (Io 3, 13).

8. Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi (Io 8, 46)?

9. *Certitudo.* Impossibile est mentiri Deum (Hebr 6, 18. — Cf. Deus, n. 79).

10. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est (1 Io 5, 9).

11. Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis (Io 3, 11).

12. Sed licet nos, aut Angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit (Gal 1, 8).

13. *Rationabilitas.* (Cf. Mysteria. n.1 sqq — Furtum n. 4). Testimonia tua credibilia facta sunt nimis (Ps 92, 5).

14. Homo sensatus credit legi Dei, et lex illi fidelis (Eccli 33, 3).

15. Credo, Domine: adiuva incredulitatem meam (Mc 9, 23).

16. Et dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem (Lc 17, 5).

17. Consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi (2 Cor 10, 4 5).

18. Vobis igitur honor credentibus (1 Petr 2, 7).

19. Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est, spe (1 Petr 3, 15).

20. *Utilitas.* Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis (Is 9, 2).

21. Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis (Mt 16, 15)?

22. Respondens Simon Petrus dixit ei: Tu es Christus, Filius Dei vivi (Mt 16, 16).

23. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona: quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est (Mt 16, 17).

24. Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis (Mt 17, 19).

25. Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris (Rom 10, 9).

26. Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem (Rom 10, 10. — Cf. Mater n. 5 6).

27. Dicit enim Scriptura: Omnis, qui credit in illum, non confundetur (Rom 10, 11).

28. Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (Hebr 11, 1).

29. Deus... det vobis... illuminatos oculos cordis vestri, ut sci-

atis quae sit spes vocationis eius, et quae divitiae gloriae haereditatis eius in sanctis (Eph 1, 17 18).

30. Scientes quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber (Eph 6, 8).

31. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam iustitiae (Eph 6, 14).

32. Eratis enim aliquando tenebrae: nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate (Eph 5, 8).

33. Reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum (1 Petr 1, 9).

34. *Extensio fidei.* Fides vestra annuntiatur in universo mundo (Rom 1, 8. — Cf. Epiphania n. 2 sqq).

35. *Exempla fidei.* Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain, obtulit Deo. . . per illam defunctus adhuc loquitur (Hebr 11, 4).

36. Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones (Hebr 11, 17).

37. Arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus (Hebr 11, 19).

38. Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis (Hebr 11, 24),

39. Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem (Hebr 11, 25).

40. Fide reliquit AEgytum, non veritus animositatem regis : invisibilem enim tamquam videns sustinuit (Hebr 11, 27).

41. Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum (Hebr 11, 33).

42. Alii vero ludibria, et verbera experti, insuper et vincula, et carceres (Hebr 11 36):

43. Lapidati sunt,

secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti (Hebr 11 37):

44. Quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ (Hebr 11, 38).

45. *Obstacula fidei.* Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis: et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis (Io 5, 44)?

46. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit (Io 5, 46).

47. Responderunt, et dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Iesus: Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite (Io 8, 39).

48. *Vita fidei.* Iustus autem ex fide vivit (Rom 1, 17).

49. Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra (1 Io 5, 4).

50. *Praxis fidei.* Qui credit Deo, attendit mandatis (Eccli 32, 28).

51. Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate (2 Cor 13, 5).

52. Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per caritatem operatur (Gal 5, 6).

53. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant (Tit 1, 16).

54. Cum autem esset Ierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius, quæ faciebat (Io 2, 23).

55. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes (Io 2, 24).

56. Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum (Iac 2, 14)?

57. Si autem frater, et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano (Iac 2, 15),

58. Dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini et saturamini: non dederitis autem eis, quae necessaria sunt corpori, quid proderit (Iac 2, 16)?

59. Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa (Iac 2, 17).

60. Tu credis quoniam unus est Deus: Bene facis: et daemones credunt, et contremiscunt (Iac 2, 19).

61. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum (Iac 2, 24)?

62. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est (Iac 2, 26).

63. *Propagatio fidei.* Pro nomine enim eius profecti sunt, nihil accipientes a gentibus (3 Io 7).

64. Nos ergo debemus suscipere huiusmodi, ut cooperatores simus veritatis (3 Io 8. — Cf. Missionarius n. 1 sq).

Fiducia.

(Cf. Spes).

1. *In creaturis.* An speras in baculo arundineo atque confracto Ægypto, super quem, si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum eius, et perforabit eam? sic est Pharao rex Ægypti omnibus, qui confidunt in se (4 Reg 18, 21).

2. Omnes homines terra et cinis (Eccli 17, 31. — Cf. Amabilitas n. 2).

3. Omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos agri (Is 40, 6).

4. Exsiccatum est foenum, et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo (Is 40, 7).

5. Haec dicit Dominus: Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domio recedit cor eius (Ir 17, 5).

6. *In Deo.* Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis (Ps 59, 13).

7. Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine (Ps 117, 8):

8. Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus (Ps 117, 9).

9. Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius: et non respexit in vanitates et insanias falsas (Ps 39, 5).

10. Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo (Pro 3, 5).

11. In pace in idipsum dormiam, et requiescam (Ps 4, 9);

12. Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me (Ps 4, 10).

13. Sperent in te qui noverunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti quaerentes te Domine (Ps 9, 11).

14. Dominus in templo sancto suo, Dominus in coelo sedes eius: Oculi eius in pauperem respiciunt (Ps 10, 5).

15. Oculi Domini super iustos: et aures eius in preces eorum (Ps 33, 16).

16. Cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam (Ps 36, 24).

17. Auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram (Ps 120, 2).

18. Statimque Iesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere (Mt 14, 27).

19. Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas (Mt 14, 28).

20. Videns vero ventum validum, timuit: et cum coepisset mergi, clamavit dicens: Domine, salvum me fac (Mt 14, 30).

21. Et continuo Iesus extendens manum, apprehendit eum: et

ait illi: Modicae fidei, quare dubitasti (Mt 14, 31)?

22. Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis (Gn 18, 27. — Cf. Caritas n. 20, 21).

23. *In his, quae ad salutem pertinent.* Commendat autem caritatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus (Rom 5, 8)

24. Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum (Rom 5, 9).

25. Si autem filii, et haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorificemur (Rom 8, 17).

26. Si Deus pro nobis, quis contra nos (Rom 8, 31)?

27. Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit (Rom 8, 32)?

28. Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum (1 Io 2, 1):

Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi (1 Io 2, 2).

29. Deus autem spei repleat vos omni gaudio, et pace in credendo: ut abundetis in spe, et virtute Spiritus sancti (Rom 15, 13).

30. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater (Gal 4, 6).

31. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem: quae quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero, quae sunt priora, extendens meipsum (Phil 3, 13),

32. Ad destinatum persequor, ad bravium

supernae vocationis Dei in Christo Iesu (Phil 3, 14).

33. Fidelis sermo, et omni acceptione dignus: quod Christus Iesus v nit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum (1 Tim 1, 15).

34. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem (Hebr 10, 35).

35. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis (Hebr 7, 25).

36. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum (Io 16, 33).

37. *In rebus temporalibus.* Hi in curribus, et hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus (Ps 19, 8).

38. Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos (Ps 24, 15).

39. Quoniam pater meus, et mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me (Ps 26, 10).

40. In manibus tuis sortes meae. Eripe me de manu inimicorum meorum, et a persequentibus me. (Ps 30, 16).

41. Iunior fui, etenim senui: et non vidi iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem (Ps 36, 25).

42. Iacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet: non dabit in aeternum fluctuationem iusto (Ps 54, 23).

43. Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo (Ps 117, 6).

44. Dominus mihi adiutor: et ego despiciam inimicos meos (Ps 117, 7).

45. Simon, dixit illi: Praeceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo

autem tuo laxabo rete (Lc 5, 5).

Et traxit multitudinem piscium.

46. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum (Lc 12, 32).

47. Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite (Io 14, 1).

Filii.

(Cf. Parentes).

1. Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi (Ex 20, 12).

Quod est mandatum primum in promissione (Eph 6, 2).

2. Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore: et qui obedit patri, refrigerabit matrem (Eccli 3, 7).

3. Qui timet Dominum honorat parentes, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt (Eccli 3, 8).

4. Honora patrem tuum, et gemitus matris tuae ne obliviscaris (Eccli 7, 29).

5. Filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum est (Eph 6, 1).

6. Et honorem habebis matri tuae omnibus diebus vitae eius (Tob 4, 3):

Memor enim esse debes, quae et quanta pericula passa sit propter te in utero suo (Tob 4, 4).

7. Corona senum filii filiorum: et gloria filiorum patres eorum (Pro 17, 6).

8. Filius sapiens laetificat patrem: filius vero stultus maestitia est matris suae (Pro 10, 1).

9. Dixit fratribus suis: Ego sum Ioseph: adhuc pater meus vivit? Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti (Gn 45, 3).

10. Ioseph... ascendit obviam patri suo... vidensque eum, irruit

super collum eius, et inter amplexus flevit (Gn 46, 29).

11. (*Ruth*) respondit: ne adverseris mihi ut relinquam te et abeam: quocumque enim perrexeris, pergam: et ubi morata fueris, et ego pariter morabor. Populus tuus populus meus, et Deus tuus Deus meus (Ru 1, 16).

12. Quae te terra morientem susceperit, in ea moriar: ibique locum accipiam sepulturae. Haec mihi faciat Dominus, et haec addat, si non sola mors me et te seperaverit (Ru 1, 17).

13. Coram cano capite consurge, et honora personam senis: et time Dominum Deum tuum. Ego sum Dominus (Lv 19, 32).

14. In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia (Ib 12, 12).

15. *(Elisaeus)* Cumque ascenderet per viam, pueri parvi egressi sunt de civitate, et illudebant ei, dicentes: Ascende calve, ascende calve (4 Reg 2, 23).

16. Qui cum respexisset, vidit eos, et maledixit eis in nomine Domini: egressique sunt duo ursi de saltu, et laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros (4 Reg 2, 24).

17. Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta (Eccli 3, 11).

18. Oculum, qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suae, effodiant eum corvi de torrentibus (Pro 30, 17).

19. Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, et coercitus obedire contempserit (Dt 21, 18):

20. Lapidibus eum obruet populus civitatis: et morietur, ut auferatis malum de medio vestri, et universus Israel audiens pertimescat (Dt 21, 21).

21. Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur (Ex 21, 15).

22. Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur (Ex 21, 17).

Filii Dei.

1. Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus (1 Io 3, 1).

2. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est (1 Io 3, 2. — Cf. Gratia n. 50 usque ad n. 62).

Finis Hominis.

(Cf. Salus).

1. Notum fac mihi Domine finem meum (Ps 38, 5. — Cf. Deus n. 46).

2. Doce me facere voluntatem tuam (Ps 142, 10).

3. Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me: da mihi intellectum, et discam mandata tua (Ps 118, 73).

4. Universa propter semetipsum operatus est Dominus (Pro 16, 4).

Flagella Dei.

(Cf. Calamitates).

Fornicatio.

(Cf. Adulterium. — Luxuria).

Fortitudo.

(Cf. Generositas. — Constantia. — Perseverantia. — Patientia. — Respectus humanus.)

1. Propter quod remissas manus, et soluta genua, erigite (Hebr 12, 12),

2. Et gressus rectos facite pedibus vestris: ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur (Hebr 12, 13).

3. Confortare igitur, et esto robustus valde: ut custodias, et facias omnem legem (Ios 1, 7).

4. Qui observat ventum, non seminat: et qui considerat nubes, nunquam metet (Eccle 11, 4).

5. Reliqui mihi septem millia virorum qui non curvaverunt genua ante Baal (Rom 11, 4).

6. Si appropiavit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, et non inferamus crimen gloriae nostrae (1 Mach 9, 10. — Cf. Mater n. 5).

7. Respondens autem Petrus, et Apostoli, dixerunt: Obedire oportet Deo magis, quam hominibus (Act 5, 29).

Fratres.

1. Ad quos ille clementer: Accedite, inquit, ad me. Et cum accessissent prope, Ego sum, ait, Ioseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum (Gn 45, 4).

2. Nolite pavere, neque vobis durum esse videatur quod vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum (Gn 45, 5).

3. Cumque amplexatus recidisset in collum Beniamin fratris sui, flevit: illo quoque similiter flente super collum eius (Gn 45, 14).

4. Osculatusque est Ioseph omnes fratres suos, et ploravit super singulos: post quae ausi sunt loqui ad eum (Gn 45, 15).

(Cf. Caritas passim et praesertim n. 83).

Fuga in Ægyptum.

1. *(Magi)* cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, et accipe puerum, et matrem eius, et fuge in AEgyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum (Mt 2, 13).

2. Qui consurgens accepit puerum, et matrem eius nocte, et secessit in Ægyptum (Mt 2, 14):

3. Et erat ibi usque ad obitum Herodis (Mt 2, 15).

Fur.

1. Vae qui praedaris, nonne et ipse praedaberis (Is 33, 1)?

2. Alii dividunt propria, et ditiores fiunt: alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt (Pro 11, 24. — Cf. Cœlum n. 50).

Furtum.

1. Non furtum facies (Ex 20, 15).


2. Videte, ne forte furtivus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid aut contingere (Tob 2, 21).

3. Statera dolosa, abominatio est apud Dominum: et pondus aequum, voluntas eius (Pro 11, 1).

4. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui (Pro 22, 28).

5. Quando vendes quippiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum (Lv 25, 14).

6. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic et inter medium venditionis et emptionis angustiabitur peccatum (Eccli 27, 2. — Cf. Restitutio).



G

Gaudium.

(Cf. Tristitia, — Lacrimae — Pax).

1. *Gaudia mundi.* Laetantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis (Pro 2, 14).

2. Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat (Pro 14, 13).

3. *Spirituale.* (Cf. Pax). Iusti epulentur, et exsultent in conspectu Dei: et delectentur in laetitia (Ps 67, 4).

4. Gaudete in Domino semper: iternum dico gaudete (Phil 4, 4).

Generositas.

1. Det vobis cor omnibus ut colatis eum, et faciatis eius voluntatem corde magno, et animo volenti (2 Mach 1, 3).

2. Et nunc non mihi contingat parcere animae meae in omni tempore tribulationis: non enim melior sum fratribus meis (1 Mach 13, 5. — Cf. Caritas n. 33. — Iesus Christus n. 191 sqq; n. 209. — Mortificatio n. 14 sqq. — Abnegatio. — Paulus n. 19 sqq. — Fidelitas. — Constantia. — Respectus humanus).

Gloria Dei.

1. Gloriam meam alteri non dabo (Is 42, 8).

2. Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite (1 Cor 10, 31).

Gloria vana.

(Cf. Humilitas et Superbia).

1. Seminastis mul-

tum, et intulistis parum: comedistis, et non estis satiati: bibistis, et non estis inebriati: operuistis vos, et non estis calefacti: et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum (Agg 1, 6).

2. Gloriam sapientes possidebunt: stultorum exaltatio, ignominia (Pro 3, 35).

3. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in coelis est (Mt 6, 1).

4. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt in synagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam (Mt 6, 2).

5. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua (Mt 6, 3):

6. Ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi (Mt 6, 4).

7. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in synagogis, et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam (Mt 6, 5).

8. Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam (Mt 6, 16).

9. Tu autem, cum ieiunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava (Mt 6, 17),

10. Ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito: et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi (Mt 6, 18).

11. Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est (Io 8, 54).

12. Non efficiamur inanis gloriae cupidi (Gal 5, 26. — Cf. Fides n. 45).

Gratia.

1. *Actualis.* Gratiam, et gloriam dabit Dominus (Ps 83, 12).

2. Divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus (1 Cor 12, 6).

3. Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (Iac 1, 17. — Cf. Conversio n. 16).

4. *Gratiae necessitas.* Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam (Ps 126, 1).

5. Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de coelo (Io 3, 27. — Cf. Zelus n. 21 sqq).

6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum (Io 6, 44).

7. Et nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto (1 Cor 12, 3).

8. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est (2 Cor 3, 5).

9. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate (Phil 2, 13. — Cf. Verbum Dei n. 6).

10. *Gratiae potentia.* Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit (Ps 83, 6. — Cf. Deus n. 27. — Verbum Dei n. 21 sqq).

11. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius (Sap 7, 11).

12. Quam sine fictione didici, et sine in-

vidia communico, et honestatem illius non abscondo (Sap 7, 13).

13. Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinae dona commendati (Sap 7, 14).

14. Spiritus enim meus super mel dulcis, et haereditas mea super mel et favum (Eccli 24, 27).

15. Qui edunt me, adhuc esurient: et qui bibunt me, adhuc sitient (Eccli 24, 29).

16. Qui audit me, non confundetur: et qui operantur in me, non peccabunt (Eccli 24, 30).

17. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est: et nemo potest rapere de manu Patris mei (Io 10, 29).

18. Ego quis eram, qui possem prohibere Deum (Act 11, 17)?

19. Omnia possum in eo, qui me confortat (Phil 4, 13).

20. *Gratiae abundantia.* Si quis sitit, veniat ad me, et bibat (Io 7, 37).

21. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae (Io 7, 38).

22. Sed non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit (Rom 5, 15).

23. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quae data est vobis in Christo Iesu (1 Cor 1, 4. — Cf. Iesus Christus n. 125 sqq):

24. Quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia (1 Cor 1, 5): Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia (1 Cor 1, 7).

25. *Abusus gratiæ.* Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra (Ps 94, 8).

26. Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit: qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo (Mt 13, 12).

27. Omni autem, cui multum datum est, multum quaeretur ab eo: et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo (Lc 12, 48. — Cf. Tempus n. 7 sqq).

28. Adhuc modicum, lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant: et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat (Io 12, 35).

29. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis (Io 12, 36).

30. Contemplantes ne quis desit gratiae Dei: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi (Hebr 12, 15).

31. Adiuvantes autem exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis (2 Cor 6, 1).

32. Aliam parabolam audite: Homo erat pater familias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et aedificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est (Mt 21, 33).

33. Aiunt illi: Malos male perdet: et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis (Mt 21, 41).

34. Dicit illis Iesus: Nunquam legistis in Scripturis: Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris (Mt 21, 42):

35. Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius (Mt 21, 43).

36. Ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens (Lc 19, 41):

37. Quia si cognovis-

ses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis (Lc 19, 42).

38. Quia venient dies in te: et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te: et coangustabunt te undique (Lc 19, 43):

39. Et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae (Lc 19, 44).

40. Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo (Io 15, 22).

41. Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum (Io 15, 24).

42. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (2 Cor 6, 2).

43. Terra enim saepe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis, a quibus colitur: accipit benedictionem a Deo (Hebr 6, 7).

44. Proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima: cuius consummatio in combustionem (Hebr 6, 8).

45. Sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris (Apc 2, 5).

46. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis (Eph 4, 30).

47. *Pretium gratiae.* Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo, abscondit, et prae gaudio illius vadit, et vendit universa quae habet, et emit agrum illum (Mt 13, 44).

48. Iterum simile est regnum coelorum homini negotiatori, quaerenti bonas margaritas (Mt 13, 45).

49. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quae habuit, et emit eam (Mt 13, 46. — Cf. Profectus spiritualis n. 3. — Mortificato n. 14).

50. *Fructus et status gratiae.* (Cf. Paulus n. 18). Fructus autem Spiritus est: caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas (Gal 5, 22),

51. Mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus huiusmodi non est lex (Gal 5, 23).

52. Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis (Io 15, 14). Iam non dicam vos servos: quia servus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi a Patre meo nota feci vobis (Io 15, 15).

53. Ego sum vitis vera: et Pater meus agricola est (Io 15, 1).

54. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat (Io 15, 2).

55. Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis (Io 15, 3).

56. Manete in me: et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis (Io 15, 4).

57. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere (Io 15, 5).

58. Si quis in me non manserit: mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent et ardet (Io 15, 6).

59. Si manseritis in me, et verba mea in

vobis manserint: quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis (Io 15, 7).

60. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei (Rom 8, 16. — Cf. Filii Dei).

61. Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu: qui non secundum carnem ambulant (Rom 8, 1).

62. Per quem maxima, et pretiosa nobis promissa donavit: ut per haec efficiamini divinae consortes naturae: fugientes eius, quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem (2 Petr 1, 4).

Amissio status gratiae (Cf. Peccatum n. 28 sqq).

Gratitudo.

1. Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum (Ib 7, 17)?

2. Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum (Ps 8, 5)?

3. Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animae meae (Ps 65, 16).

4. Benedic anima mea Domino: et noli oblivisci omnes retributiones eius (Ps 102, 2):

5. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas (Ps 102, 3).

6. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus (Ps 102, 4).

7. Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis (Ps 102, 10).

8. Quid retribuam Domino, pro omnibus, quae retribuit mihi (Ps 115, 12)?

9. Non fecit taliter omni nationi: et iudicia sua non manifestavit eis (Ps 147, 20).

10. Gratias Deo super inenarrabili dono eius (2 Cor 9, 15).

11. In omnibus gratias agite: haec est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis (1 Thess 5, 18).

Gula.

(Cf. Temperantia).



H

Haereses.

(Cf. Impii. — Doctrina perversa. — Mali. — Incredulitas).

1. Oportet et haereses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis (1 Cor 11, 19).

2. In novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum (1 Tim 4, 1).

3. Seductores proficient in peius, errantes, et in errorem mittentes (2 Tim 3, 13).

4. Erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant: superducentes sibi celerem perditionem (2 Petr 2, 1).

5. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces (Mt 7, 15. — Cf. Occasio n. 14).

Homicidium.

(Cf. Caritas n. 57 et Inimici).

1. Non occides (Ex 20, 13).

2. Maledictus qui clam percusserit proximum suum (Dt 27, 24).

Homo.

(Cf. Vir).

1. *Dignitas eius.* Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram: et praesit piscibus maris, et volatilibus coeli, et bestiis, universaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra (Gn 1, 26).

2. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem (Gn 2, 7).

3. Qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei (Lc 3, 38).

4. Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subiicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus coeli, et universis animantibus, quae moventur super terram (Gn 1, 28).

5. Posuit timorem illius super omnen carnem, et dominatus est bestiarum et volatilium (Eccli 17, 4).

6. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti laetitiam in corde meo (Ps 4, 7).

7. Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum (Ps 8, 6):

8. Et constituisti eum super opera manuum tuarum (Ps 8, 7).

9. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves et boves universas: insuper et pecora campi (Ps 8, 8).

10. *Infirmitas.* Domine quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum (Ps 143, 3)?

11. Homo vanitati similis factus est: dies eius sicut umbra praetereunt (Ps 143, 4).

12. Omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est foenum, et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo (Is 40, 6 7).

13. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma (Mt 26, 41).

14. Unus ergo introitus est omnis ad vitam, et similis exitus (Sap 7, 6).

15. Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax (Ps 115, 11. — Cf. Luxuria n. 3 et Vita).

Hospitalitas.

1. Hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis (Hebr 13, 2).

2. Necessitatibus sanctorum communicantes: Hospitalitatem sectantes (Rom 12, 13).

3. Dominus .... amat peregrinum, et dat ei victum atque vestitum. Et vos ergo amate peregrinos (Dt 10, 17 18 19).

4. *Compulit Lot duos iuvenes advenas, ut diverterent in domum suam, et eis fecit convivium, qui et illum ab incendio Sodomae liberaverunt* (Gn 19).

5. *Mulier Sunamitis frequenter excipiebat in domum Elisaeum, qui et illi sterili filium obtinuit, et filium mortuum ad vitam revocavit* (4 Reg 4).

Humiliatio.

1. Bonum mihi quia humiliasti me: ut discam iustificationes tuas (Ps 118, 71).

2. Melius est humiliari cum mitibus, quam dividere spolia cum superbis (Pro 16, 19).

3. Est qui nequiter humiliat se, et interiora eius plena sunt dolo (Eccli 19, 23).

Humilitas.

(Cf. Gloria vana et Superbia).

1. Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris (Mt 11, 29).

2. Qui maior est vestrum, erit minister vester. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur: et qui se humiliaverit, exaltabitur (Mt 23, 11 12. — Cf. Infans n. 6).

3. Gloriam praecedit humilitas (Pro 15, 33).

4. Sapientes abscondunt scientiam: os autem stulti confusioni proximum est (Pro 10, 14).

5. Iustus, prior est accusator sui (Pro 18, 17).

6. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur (2 Cor 10, 17).

7. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat (2 Cor 10, 18).

8. Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit (Gal 6, 3. — Cf. Deus n. 13. — Iesus Christus n. 211. — Iuvenes n. 11 12).

9. In multis enim offendimus omnes (Iac 3, 2).

10. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi (Mt 19, 30).

11. Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo (Lc 14, 8),

12. Et veniens is, qui te et illum vocavit, dicat ibi: Da huic locum: et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere (Lc 14, 9).

13. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco: ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus (Lc 14, 10).

14. Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quae ei imperaverat (Lc 17, 9)?

15. Non puto. Sic et vos cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus (Lc 17, 10). Si iustus *fuero,* non levabo caput (Ib 10, 15).

16. Dixit autem et ad quosdam, qui in se confidebant tamquam iusti, et aspernabantur caeteros, parabolam istam (Lc 18, 9):

17. Duo homines ascenderunt in templum ut orarent: unus Pharisaeus, et alter Publicanus (Lc 18, 10).

18. Pharisaeus stans, haec apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut caeteri hominum: raptores, iniusti, adulteri:

velut etiam hic publicanus (Lc 18, 11).

19. Ieiuno bis in sabbato: decimas do omnium, quae possideo (Lc 18, 12).

20. Et publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad coelum levare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori (Lc 18, 13).

21. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo, quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur (Lc 18, 14. — Cf. Oratio n. 41).

22. Amen, amen dico vobis: Non est servus maior domino suo: neque apostolus maior est eo, qui misit illum (Io 13, 16).

23. Ego autem non quaero gloriam meam: est qui quaerat, et iudicet (Io 8, 50).

24. Claritatem ab hominibus non accipio (Io 5, 41).

25. A Nazareth potest aliquid boni esse (Io 1, 46)?

26. Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia (1 Cor 1, 27):

27. Et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea, quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret (1 Cor 1, 28. — Cf. Vita spiritualis n. 3).

28. Ludam, et vilior fiam plus quam factus sum: et ero humilis in oculis meis: et cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo (2 Reg 6, 22).

29. Et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi (Ps 72, 22. — Cf. Paulus n. 26 sqq. — Ioannes Baptista n. 10).

30. Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam (Ps 113, 1).

Hypocrita.

1. Dixit ad me: Fili hominis fode parietem (Ez 8, 8).

2. Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium, abominatio, et universa idola domus Israël (Ez 8, 10. — Cf. Cultus Dei n. 6).

3. *Iansenistae.* Vae autem vobis Scribae, et Pharisaei hypocritae: quia clauditis regnum coelorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare (Mt 23, 13).

4. Vae vobis Scribae, et Pharisaei hypocritae: qui decimatis mentham, et anethum, et cyminum, et reliquistis quae graviora sunt legis, iudicium, et misericordiam, et fidem: haec oportuit facere, et illa non omittere (Mt 23, 23).

5. Duces caeci, excolantes culicem, camelum autem glutientes (Mt 23, 24).

6. Vae vobis Scribae, et Pharisaei hypocritae, quia mundatis quod deforis est calicis, et paropsidis: intus autem pleni estis rapina, et immunditia (Mt 23, 25).

7. Pharisaee caece, munda prius quod intus est calicis, et paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum (Mt 23, 26).

8. Vae vobis Scribae, et Pharisaei hypocritae: quia similes estis sepulcris dealbatis, quae a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia (Mt 23, 27. — Cf. Sacerdos n. 90 sqq).

9. Et vos implete mensuram patrum vestrorum (Mt 23, 32).

10. Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis a iudicio gehennae (Mt 23, 33)?

11. Spes hypocritae peribit (Ib 8, 13. — Cf. Zelus n. 25 26).

I

Iactantia.

(Cf. Laus et Superbia).

Melior est patiens arrogante (Eccle 7, 9).

Idololatria.

1. Non habebis deos alienos coram me (Ex 20, 3).

2. Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum (Ps 105, 20).

3. Simulacra gentium argentum, et aurum, opera manuum hominum (Ps 113, 4).

4. Os habent, et non loquentur: oculos habent, et non videbunt (Ps 113, 5).

5. Aures habent, et non audient: nares habent, et non odorabunt (Ps 113, 6).

6. Manus habent, et non palpabunt: pedes habent, et non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo (Ps 113, 7).

7. Similes illis fiant qui faciant ea: et omnes qui confidunt in eis (Ps 113, 8).

8. Infelices autem sunt, et inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt deos opera manuum hominum, aurum et argentum, artis inventionem, et similitudines animalium, aut lapidem inutilem opus manus antiquae (Sap 13, 10).

Ieiunium.

(Cf. Quadragesima).



Iesus Christus.

1. *Cognitio eius.* (Cf. Abnegatio 6, 7). Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum (1 Cor 2, 2).

2. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent (1 Cor 2, 8).

3. Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in caritate radicati, et fundati (Eph 3, 17),

4. Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum (Eph 3, 18):

Scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei (Eph 3, 19).

5. *Nomen Iesu.* (Cf. Nomen). *In sinu Patris.* Candor est enim lucis aeternae, et speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius (Sap 7, 26).

6. Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae (Col 1, 15).

7. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (Io 1, 1).

8. Hoc erat in principio apud Deum (Io 1, 2).

9. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est (Io 1, 3),

10. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum (Io 1, 4).

11. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (Io 1, 9).

12. *Expectatio gentium.* PROPHETAM de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies (Dt 18, 15).

13. Finis enim legis, Christus, ad iustitiam

omni credenti (Rom 10, 4. — Cf. Messias).

14. *Incarnatio.* Exultavit ut gigas ad currendam viam (Ps 18, 6).

15. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit (Io 1, 10).

16. In propria venit, et sui eum non receperunt (Io 1, 11).

17. Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiae, et veritatis (Io 1, 14. — Cf. Incarnatio).

18. *Nativitas.* Et peperit Filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio: quia non erat eis locus in diversorio (Lc 2, 7).

19. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum (Lc 2, 8).

20. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno (Lc 2, 9).

21. Et dixit iilis Angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo (Lc 2, 10):

22. Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David (Lc 2, 11).

23. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, et positum in praesepio (Lc 2, 12).

24. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiae coelestis laudantium Deum, et dicentium (Lc 2, 13):

25. Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis (Lc 2, 14).

26. Et venerunt festinantes: et invenerunt Mariam, et Ioseph, et infantem positum in praesepio (Lc 2, 16).

27. PARVULUS enim NATUS est nobis, et filius datus est nobis,

et factus est principatus super humerum eius: et vocabitur nomen eius, Admirabilis, consilarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis (Is 9, 6).

28. Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in aeternum (Ps 44, 3).

29. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna (Ps 44, 5).

30. *Praesentatio. (Obtulerunt eum Domino).* Scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur (Lc 2, 23).

31. Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, et homo iste iustus, et timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo (Lc 2, 25).

32. Et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit (Lc 2, 28):

33. Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace (Lc 2, 29):

34. Quia viderunt oculi mei salutare tuum (Lc 2, 30),

35. Quod parasti ante faciem omnium populorum (Lc 2, 31).

36. Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuae Israël (Lc 2, 32).

37. Et bendixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel: et in signum, cui contradicetur (Lc 2, 34):

38. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius ut revelentur ex multis cordibus cogitationes (Lc 2, 35. — Cf. Infans).

39. *Vita privata. Obedientia.* Et erat subditus illis (Lc 2, 51).

40. Dominus Deus aperuit mihi aurem,

ego autem non contradico: retrorsum non abii (Is 50, 5).

41. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me (Is 50, 6).

42. *Vita publica. Exempla.* Et eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit: et surdos fecit audire, et mutos loqui (Mc 7, 37).

43. *Paupertas.* Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet (Mt 8, 20).

44. Pauper sum ego, et in laboribus a iuventute mea (Ps 87, 16).

45. *Mansuetudo.* Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum (Is 7, 15).

46. Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animae meae. Ponam spiritum meum super eum, et iudicium Gentibus nuntiabit (Mt 12, 18).

47. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius (Mt 12, 19):

48. Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad victoriam iudicium (Mt 12, 20):

49. Et in nomine eius Gentes sperabunt (Mt 12, 21).

50. *Misericordia.* At Iesus audiens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus (Mt 9, 12).

51. Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores (Mt 9, 13).

52. Qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo (Act 10, 38).

53. Quia ergo pueri communicaverunt carni, et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem: ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum (Hebr 2, 14).

54. Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi (Hebr 2, 17).

55. In eo enim, in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari (Hebr 2, 18).

56. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato (Hebr 4, 15).

57. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae: ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno (Hebr 4, 16).

58. Ierusalem, Ierusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti (Mt 23, 37)?

59. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (Mt 23, 38).

60. Ipse autem respondens dixit illis: Videtis haec omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur (Mt 24, 2).

61. Misereor super turbam: quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent (Mc 8, 2):

62. Et si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt (Mc 8, 3).

63. Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso (Lc 23, 43).

64. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: et eum, qui venit ad me, non eiiciam foras (Io 6, 37).

65. Haec est autem voluntas eius, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die (Io 6, 39).

66. Iesus vero ait eis: Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum coelorum (Mt 19, 14).

67. Cum autem appropinquaret portae civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae: et haec vidua erat: et turba civitatis multa cum illa (Lc 7, 12).

68. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere (Lc 7,13).

69. Et accessit, et tetigit loculum. (Hi autem, qui portabant, steterunt). Et ait: Adolescens, tibi dico, surge (Lc 7, 14).

70. Et resedit qui erat mortuus, et coepit loqui. Et dedit illum matri suae (Lc 7, 15).

71. Et stans retro secus pedes eius, lacrimis coepit rigare pedes eius, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes eius, et unguento ungebat (Lc 7, 38).

72. Duo debitores erant cuidam foeneratori: unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta (Lc 7, 41).

73. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit (Lc 7, 42)?

74. Respondens Simon dixit: Æstimo quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei: Recte iudicasti (Lc 7, 43).

75. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit (Lc 7, 47).

76. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata (Lc 7, 48).

77. Et cum viderent

omnes, murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset (Lc 19, 7).

78. Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat (Io 8, 7).

79. Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnavit (Io 8, 10)?

80. Quae dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo: Vade, et iam amplius noli peccare (Io 8, 11).

81. Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur (Io 11, 3).

82. Audiens autem Iesus dixit eis: Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam (Io 11, 4).

83. Et lacrimatus est Iesus (Io 11, 35).

Dixerunt ergo Iudaei: Ecce quomodo amabat eum (Io 11,36).

Ait Iesus: Tollite lapidem (Io 11, 39).

Haec cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare veni foras (Io 11, 43).

84. Haec in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora cum iam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis (Io 16, 25).

85. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi (Io 16, 27).

86. Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori (Rom 5, 7).

87. *Caritas.* Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea (Io 15, 9).

88. Iam non dicam vos servos: quia servus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quaecumque au-

divi a patre meo, nota feci vobis (Io 15, 15).

89. Ante diem festum Paschae, sciens Iesus quia venit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos (Io 13, 1).

90. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis (Io 15, 13).

91. *Humilitas.* Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo (Phil 2, 6):

92. Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo (Phil 2, 7).

93. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (Phil 2, 8).

94. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen (Phil 2, 9. — Cf. Humilitas).

95. *Sanctitas.* Quis ex vobis arguet me de peccato (Io 8, 46)?

96. *Libertas.* Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam (Io 10, 17).

97. Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam.... Hoc mandatum accepi a Patre meo (Io 10, 18. — Cf. Passio n. 13).

98. *Doctrina.* (Cf. Verbum Dei). Vos vocatis me Magister, et Domine: et bene dicitis: sum etenim (Io 13, 13).

99. Quae ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor (Io 12, 50).

100. Et ecce vox de coelis dicens: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui (Mt 3, 17).

101. Et sermonem, quem audistis, non est meus: sed eius, qui misit me, Patris (Io 14, 24).

102. Et stupebant super doctrina eius: erat enim docens eos, quasi potestatem habens, et non sicut Scribae (Mc 1, 22).

103. Responderunt ministri: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo (Io 7, 46).

104. In quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae absconditi (Col 2, 3).

105. *Agonia.* Tunc venit Iesus cum illis in villam, quae dicitur Gethsemani, et dixit discipulis suis: Sedete hic donec vadam illuc, et orem (Mt 26, 36).

106. Et assumpto Petro, et duobus filiis Zebedaei, coepit contristari et moestus esse (Mt 26, 37).

107. Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, et vigilate mecum (Mt 26, 38).

108. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu (Mt 26, 39).

109. Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum (Mt 26, 40)?

110. Vigilate, et orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma (Mt 26, 41).

Apparuit autem illi Angelus de coelo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat (Lc 22, 43).

111. Surgite eamus: ecce appropinquavit qui me tradet (Mt 26, 46. — Cf. Passio).

112. *Sanguis.* Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu (Rom 3, 24).

113. Si enim sanguis hircorum, et taurorum,

et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis (Hebr 9, 13):

114. Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi (Hebr 9, 14)?

115. Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis (1 Petr 1, 18):

116. Sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati (1 Petr 1, 19).

117. Si autem in luce ambulamus sicut et ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, et sanguis Iesu Christi, Filii eius, emundat nos ab omni peccato (1 Io 1, 7).

118. *Redemptor.* Nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat (Io 11, 50).

119. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis (2 Cor 5, 19).

120. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae eius (Eph 1, 7).

121. In hoc enim laboramus, et maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium (1 Tim 4, 10).

122. Venit enim Filius hominis salvare quod perierat (Mt 18, 11. — Cf. Caritas n. 10 11).

123. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius (Io 1, 12):

124. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt (Io 1, 13).

125. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia (Io 1, 16).

126. Quia lex per Moysen data est, gratia, et veritas per Iesum Christum facta est (Io 1, 17).

127. Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae (Io 8, 12).

128. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur: et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet (Io 10, 9).

129. Ego sum via, et veritas, et vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me (Io 14, 6).

130. Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant (Io 10, 10).

131. Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri (Act 4, 12).

132. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus (1 Cor 3, 11).

133. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum (Col 1, 14).

134. Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare (Col 1, 19):

135. Et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt (Col 1, 20).

136. Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: Et expolians principatus, et potestates

traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso (Col 2, 14 15).

137. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus (1 Tim 2, 5).

138. Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes: hic factus est in caput anguli (Ps 117, 22).

139. A Domino factum est istud: et est mirabile in oculis nostris (Ps 117, 23).

140. *Sacerdos.* Iuravit Dominus, et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech (Ps 109, 4).

141. Cui et decimas omnium divisit Abraham: primum quidem qui interpretatur rex iustitiae: deinde autem et rex Salem, quod est, rex pacis (Hebr 7, 2),

142. Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum (Hebr 7, 3).

143. Hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium (Hebr 7. 24).

144. Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior coelis factus (Hebr 7, 26):

145. Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo (Hebr 7, 27).

146. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam, et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi (Hebr 10, 5):

147. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt (Hebr 10, 6).

148. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam (Hebr 10, 7).

149. Et omnis quidem sacerdos praesto est quotidie ministrans, et easdem saepe offerens hostias, quae nunquam possunt auferre peccata (Hebr 10, 11):

150. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei (Hebr 10, 12).

151. Una enim oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatos (Hebr 10, 14).

152. Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi (Hebr 10, 19),

153. Et sacerdotem magnum super domum Dei (Hebr 10, 21):

154. Teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem (Hebr 10, 23).

155. *Potentia.* Omnia mihi tradita sunt a Patre meo (Mt 11, 27).

156. Pater diligit Filium: et omnia dedit in manu eius (Io 3, 35).

157. Pater meus usque modo operatur, et ego operor (Io 5, 17).

158. Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt: et clarificatus sum in eis (Io 17, 10).

159. Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis (Io 16, 15).

160. Omnia subiecit sub pedibus eius: et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam (Eph 1, 22).

161. In ipso condita sunt universa in coelis, et in terra, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, et in ipso creata sunt (Col 1, 16).

162. Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam ter-

minos terrae (Ps 2, 8).

163. Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos (Ps 2, 9).

164. Dominabitur a mari usque ad mare: et a flumine usque ad terminos orbis terrarum (Ps 71, 8).

165. *Divinitas.* Ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua (Mt 9, 2).

166. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris (Mt 9, 4)?

167. Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere: Surge, et ambula (Mt 9, 5)?

168. Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam (Mt 9, 6).

169. Et respondens Iesus ait illis: Euntes renuntiate Ioanni quae audistis, et vidistis (Mt 11, 4).

170. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur (Mt 11, 5).

171. Centurio autem, et qui cum eo erant, custodientes Iesum, viso terrae motu et his, quae fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste (Mt 27, 54).

172. Respondit eis Iesus: Loquor vobis, et non creditis: opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me (Io 10, 25).

173. Ego, et Pater unum sumus (Io 10, 30).

174. Si autem facio: et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre (Io 10, 38).

175. Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (Col 2, 9).

176. Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis (Hebr 1, 3):

177. Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit (Hebr 1, 4).

178. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium (Hebr 1, 5)?

179. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum (Hebr 1, 13)?

180. Iesus Christus heri, et hodie: ipse et in saecula (Hebr 13, 8).

181. *Regnum.* (Cf. Annuntiatio n. 5 6 — Passio D. N. I. Chr. n. 77 sqq). Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius (1 Cor 15, 25).

182. Regnum tuum regnum omnium saeculorum: et dominatio tua in omni generatione et generationem (Ps 144, 13).

183. Gens enim et regnum, quod non servierit tibi, peribit (Is 60, 12).

184. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum (Mt 21, 44).

185. Quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula (Hebr 1, 2).

186. Rex regum, et Dominus dominantium (Apc 19, 16).

187. Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania (Ps 2, 1)?

188. Astiterunt reges

terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius (Ps 2, 2).

189. Dirumpamus vincula eorum: et proiciamus a nobis iugum ipsorum (Ps 2, 3).

190. Qui habitat in coelis irridebit eos: et Dominus subsannabit eos (Ps 2, 4).

191. *Ergo diligendus.* (Cf. Fidelitas).

Quis ergo nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (Rom 8, 35).

192. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo (Rom 8, 38),

193. Neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro (Rom 8, 39).

194. Caritas enim Christi urget nos: aestimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt (2 Cor 5, 14).

195. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in eius dilectione (Io 15, 10. — Cf. Gratia n. 52).

196. Et pro omnibus mortuus est Christus: ut, et qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurexit (2 Cor 5, 15. — Cf. Passio n. 181).

197. Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, Maran Atha (1 Cor 16, 22).

198. Dixit ergo Iesus ad duodecim: Numquid et vos vultis abire (Io 6, 68)?

199. Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes (Io 6, 69; — Cf. Praesumptio n. 7 sqq).

200. Et nos credidimus, et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei (Io 9, 70).

201. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus et nos, ut moriamur cum eo (Io 11, 16).

202. Qui dixit illis: Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae (Lc 17, 37).

203. Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis (Lc 22, 28).

204. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum (Lc 22, 29),

205. Ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo: et sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel (Lc 22, 30).

206. Coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est iam dies. Et intravit cum illis (Lc 24, 29. — Cf. Gratia n. 53 sqq. — Unio cum Deo).

207. Radicati, et superaedivificati in ipso, et confirmati fide, sicut et didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione (Col 2, 7).

208. Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro (1 Cor 12, 27. — Cf. Eucharistia n. 20 21).

209. Tunc respondit Paulus, et dixit: Quid facitis flentes, et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed et mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu (Act 21, 13).

510. *Imitandus.* Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare (1 Io 2, 6).

211. Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Iesu (Phil 2, 5. — Cf. Passio n. 191).

212. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis (Io 13, 15).

213. Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de coelo, coelestis (1 Cor 15, 47).

214. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis (1 Cor 15, 49).

215. Et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, et sanctitate veritatis (Eph 4, 24).

216. Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi (Eph 5, 1).

Ignavia.

(Cf. Fortitudo. — Respectus humanus. — Generositas. — Fidelitas).

Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israël (1 Mach 5, 62).

Ignorantia.

1. Evigilate iusti, et nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent (1 Cor 15, 34).

2. Testificor in Domino, ut iam non ambuletis, sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quae est in illis, propter caecitatem cordis ipsorum (Eph 4, 17 18).

3. Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat (Io 12, 35).

4. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, et nobiles eius interierunt fame, et multitudo eius siti exaruit (Is 5, 13).

5. Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino: et descendent fortes eius, et populus eius, et sublimes, gloriosique eius ad eum. Et incurvabitur homo, et humiliabitur vir, et oculi sublimium deprimentur. Et exaltabitur Dominus exercituum in iudicio (Is 5, 14 15 16).

6. Non est enim veritas.... et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt...Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis, qui habitat in ea (Os 4, 1 2 3).

7. Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam (Os 4, 6).

8. Doctrina sua noscetur vir: qui autem vanus et excors est, patebit contemptui (Pro 12, 8).

9. Doctrina bona dabit gratiam: in itinere contemptorum vorago (Pro 13, 15).

10. Ne adincrescant ignorantiae meae, et multiplicentur delicta mea, et peccata mea abundent, et incidam in conspectu adversariorum meorum, et gaudeat super me inimicus meus (Eccli 23, 3).

11. Ubi non est scientia animae, non est bonum (Pro 19, 2). Impius ignorat scientiam (Pro 29, 7).

12. Quaecumque..... ignorant, blasphemant (Iu 10. — Cf. Impii n. 17).

13. Si quis autem ignorat, ignorabitur (1 Cor 14, 38). Labia iusti erudiunt plurimos: qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur (Pro 10, 21).

14. Erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis (Sap 5, 6).

15. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus (Sap 5, 7).

Illusio.

Ipse enim satanas

transfigurat se in angelum lucis (2 Cor 11, 14).

Immortalitas.

(Cf. Anima).

1. Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suae fecit illum (Sap 2, 23. — Cf. Coelum n. 18 sqq. — Infernus n. 3 sqq).

Impii.

(Cf. Mali. — Haereses. — Doctrina perversa. — Incredulitas).

1. Dixerunt Deo: Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus (Ib 21, 14).

2. Quis est Omnipotens, ut serviamus ei? et quid nobis prodest si oraverimus illum (Ib 21, 15)?

3. Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus (Ps 13, 1).

4. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (Ps 13, 1).

5. Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra (Ps 73, 8).

6. Venite ergo, et fruamur bonis quae sunt, et utamur creatura tamquam in iuventute celeriter (Sap 2, 6).

7. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra (Sap 2, 8).

8. Sit autem fortitudo nostra lex iustitiae: quod enim infirmum est, inutile invenitur (Sap 2, 11).

9. Circumveniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinae nostrae (Sap 2, 12).

10. Promittit se scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat (Sap 2, 13).

11. Tamquam nugaces aestimati sumus

ab illo, et abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis, et praefert novissima iustorum, et gloriatur patrem se habere Deum (Sap 2, 16).

12. Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt (Ir 4, 22).

13. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum (Rom 1, 21).

14. Similiter autem odio sunt Deo impius, et impietas eius (Sap 14, 9).

15. Vae impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei (Is 3, 11).

16. Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus eius in conculcationem et lutum (Is 57, 20).

17. Hi autem quaecumque quidem ignorant, blasphemant: quaecumque autem naturaliter, tamquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur (Iu 10. — Cf. Iesus Christus n. 190).

18. Fugit impius, nemine persequente: iustus autem quasi leo confidens, absque terrore erit (Pro 28, 1).

Impudicitia.

(Cf. Luxuria).

Incarnatio.

(Cf. Iesus Christus n. 146).

1. Ecce venio. In capite libri scriptum est de me (Ps 39, 8)

2. Ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei (Ps 39, 9).

3. Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est (Bar 3, 38).

4. Ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph

fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est (Mt 1, 20).

5. Misericordia, et veritas obviaverunt sibi: iustitia, et pax osculatae sunt (Ps 84, 11. — Cf. Caritas n. 7—10).

6. Per viscera misericordiae Dei nostri: in quibus visitavit nos, oriens ex alto (Lc 1, 78):

7. Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis (Lc 1, 79).

Incredulitas.

(Cf. Haereses. — Impii. — Mali. — Doctrina perversa).

1. Dixerunt ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus eius, non credam (Io 20, 25).

2. Deinde dicit Thomae: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum: et noli esse incredulus, sed fidelis (Io 20, 27).

3. Respondit Thomas, et dixit ei: Dominus meus, et Deus meus (Io 20, 28).

4. Dixit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, et crediderunt (Io 20, 29).

5. Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo (Hebr 3, 12).

6. A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur (2 Tim 4, 4).

7. Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris: si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro (Io 8, 24).

Indifferentia.

1. Viae Sion lugent eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem (Thr 1, 4).

2. Et egressus est a filia Sion omnis decor eius (Thr 1, 6).

3. Qui non est mecum, contra me est: et qui non congregat mecum, spargit (Mt 12 30).

Indulgentia erga infirmitates.

(Cf. Concionator n. 17. — Paulus n. 31. — Zelus n. 40. — Misericordia hominis. — Mansuetudo).

Indurati.

1. *Peccatum eorum.* Noluit intelligere ut bene ageret (Ps 35, 4).

2. Induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos sicut praeceperat Dominus (Ex 8, 19).

3. Incrassatum est enim cor populi huius, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt: ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos (Mt 13, 15).

4. Domine.... percussisti eos, et non doluerunt: attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti (Ir 5, 3).

5. *Poena peccati.* Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia et opprobrium (Pro 18, 3. — Cf. Divites n. 14).

6. Vae eis cum recessero ab eis (Os 9, 12).

7. Dixit Iesus: In iudicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant (Io 9, 39).

8. Curavimus Babylonem, et non est sanata: derelinquamus eam (Ir 51, 9).

9. Hoc est autem

iudicium: quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera (Io 3, 19).

10. Quaeretis me, et non invenietis: et ubi ego sum, vos non potestis venire (Io 7, 34).

11. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem (Rom 10, 21).

12. Quia vocavi, et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret (Pro 1, 24).

13. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis (Pro 1, 25).

14. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit (Pro 1, 26. — Cf. Caritas n. 61).

Infans.

1. Factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos (Lc 2, 46).

2. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te (Lc 2, 48).

3. Et ait ad illos: Quid est quod me quaerebatis? nesciebatis quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse (Lc 2, 49)?

4. Et Iesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum, et homines (Lc 2, 52).

5. Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum coelorum (Mt 19, 14).

6. Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum (Mt 18, 3).

7. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est maior in regno coelorum (Mt 18, 4. — Cf. Caritas n. 64).

8. Quia ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem (Mt 21, 16).

9. Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote: sensibus autem perfecti estote (1 Cor 14, 20).

10. Quis, putas, puer iste erit (Lc 1, 66)?

Is erit, quem educatio faciet, ergo bene educandus.

Inferiores.

Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii (Eccli 4, 32. — Cf. Obedientia. — Superiores. — Filii. — Servi. — Parentes. — Domini).

Infernus.

(Cf. Reprobus).

1. Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur (Mt 7, 19).

2. Filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, et stridor dentium (Mt 8, 12. — Cf. Iudicium gener. n. 55 sqq).

3. Ibunt hi in supplicium aeternum: iusti autem in vitam aeternam (Mt 25, 46).

4. Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur (Mc 9, 43. — Cf. Divites n. 5 sqq).

5. Pluet super peccatores laqueos: ignis, et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum (Ps 10, 7).

6. Stuppa collecta synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis (Eccli 21, 10).

7. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? (Is 33, 14. — Cf. Iudicium gen. n. 79).

8. Omnis dolor irruet super eum (Ib 20, 22).

9. Terram miseriae et

tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat (Ib 10, 22).

10. In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Iesu Christi (2 Thess 1, 8).

Qui poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini (2 Thess 1, 9).

11. Et cruciabitur igne, et sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, et ante conspectum Agni (Apc 14, 10):

12. Nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam, et imaginem eius, et si quis acceperit characterem nominis eius (Apc 14, 11. — Cf. Iudicium gen. n. 82).

13. Timidis autem, et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne, et sulphure: quod est mors secunda (Apc 21, 8. — Cf. Mors n. 36. — Misericordia n. 22).

Ingratitudo erga Deum.

1. Quos ut vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt (Lc 17, 14).

2. Unnus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum (Lc 17, 15),

3. Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: et hic erat Samaritanus (Lc 17, 16).

4. Respondens autem Iesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt (Lc 17, 17)?

5. Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena (Lc 17, 18).

6. Haeccine reddis Domino popule stulte et insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te (Dt 32, 6)?

7. Deum, qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui (Dt 32, 18).

8. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo (Ps 54, 13).

9. Tu vero homo unanimis: dux meus, et notus meus (Ps 54, 14):

10. Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum consensu (Ps 54, 15).

11. Filios enutrivi, et exaltavi: ipsi autem spreverunt me (Is 1, 2).

12. Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui: Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit (Is 1, 3).

13. Quid est quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? an quod exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas (Is 5, 4)?

14. Et oblitus es Domini factoris tui (Is 51, 13).

15. Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciae pectoralis suae? populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris (Ir 2, 32).

16. Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi (Mich 6, 3).

17. Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis (Io 10, 32)?

Inimici.

(Cf. Lites. — Stephanus — Vindicta).

1. Benedicite persequentibus vos: benedicite, et nolite maledicere (Rom 12, 14).

2. Gaudere cum gau-

dentibus, flere cum flentibus (Rom 12, 15):

3. Nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus (Rom 12, 17).

4. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes (Rom 12, 18):

5. Non vosmetipsos defendentes carissimi, sed date locum irae; scriptum est enim: Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus (Rom 12, 19).

6. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius (Rom 12, 20).

7. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum (Rom 12, 21. — Cf. Caritas n. 119 sqq).

8. *Cum Saul inique Davidem persequebatur, David cum suis latens in spelunca, in quam inscius Saul ingressus est, istius chlamydis oram abscidit. Altera die in tentorium Sauli dormientis ingressus est, et hastam et scyphum eius sustulit* (1 Reg 24-26 — Cf. Condonatio iniuriarum).

Iniuria.

(Cf. Condonatio iniuriarum).

Iniustitia.

(Cf. Furtum — Fur).

Innocentes.

1. Herodes... occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus eius a bimatu et infra (Mt 2, 16).

2. Vox in Rama audita est ploratus, et ululatus multus: Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt (Mt 2, 18).

Inspiratio.

(Cf. Scriptura).

Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines (2 Petr 1, 21).

Instructio religiosa.

(Cf. Catechismus).

Intentio.

1. Nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea quae parent, Dominus autem intuetur cor (1 Reg 16, 7).

2. Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde (Ps 72, 1)!

3. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit (Mt 6, 22).

4. Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebrae sunt: ipsae tenebrae quantae erunt (Mt 6, 23)?

Interpretatio.

(Cf. Scriptura).

1. Hoc primum intelligentes quod omnis prophetia Scripturae propria interpretentione non fit (2 Petr 1, 20).

2. Sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti, et instabiles depravant, sicut et caeteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem (2 Petr 3, 16).

Invidia.

1. Respondens autem Ioannes dixit: Praeceptor, vidimus quemdam in nomine tuo eiicientem daemonia, et prohibuimus eum: quia non sequitur nobiscum (Lc 9, 49).

2. Et ait ad illum Iesus: Nolite prohibere: qui enim non est adversum vos, pro vobis est (Lc 9, 50).

3. Conversus increpavit illos, dicens: Ne-

scitis cuius spiritus estis (Lc 9, 55).

4. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est (Io 3, 29).

5. Non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus: Non estes mihi necessarii (1 Cor 12, 21).

6. Sed multo magis quae videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt (1 Cor 12, 22).

7. Illum oportet crescere, me autem minui (Io 3, 30).

8. Quid enim? Dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur: et in hoc gaudeo, sed et gaudebo (Phil 1, 18).

Invitatio.

(Cf. Mundus — Solitudo — Visitationes).

Advocatus a potentiore discede: ex hoc enim magis te avocabit (Eccli 13, 12).

Ioannes Baptista.

1. Erit gaudium tibi, et exsultatio, et multi in nativitate eius gaudebunt (Lc 1, 14):

2. Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum (Lc 1, 16).

3. Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis: praeibis enim ante faciem Domini parare vias eius (Lc 1, 76):

4. Ad dandam scientiam salutis plebi eius: in remissionem peccatorum eorum (Lc 1, 77).

5. Et posuerunt omnes, qui audierant in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo (Lc 1, 66).

6. Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu: et erat in desertis usque in diem ostensionis suae ad Israel (Lc 1, 80).

7. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes (Io 1, 6).

8. Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum (Io 1, 7).

9. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine (Io 1, 8).

10. Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, et igni (Mt 3, 11).

11. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me (Mt 11, 6).

12. Illis autem abeuntibus, coepit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam (Mt 11, 7)?

13. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, domibus regum sunt (Mt 11, 8).

14 Sed quid existis videre? prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam (Mt 11, 9).

15. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te (Mt 11, 10).

16. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista: qui autem minor est in regno coelorum, maior est illo (Mt 11, 11).

17. Hic est enim, qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas eius (Mt 3, 3).

18. Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est (Mt 11, 14).

19. Ille erat lucerna ardens, et lucens (Io 5, 35).

Ioannes Evangelista.

....Discipulum, quem diligebat Iesus... qui et recubuit in coena super pectus eius (Io 21, 20. — Cf. Passio n. 148 sqq).

Ioseph.

1. Clamavit populus ad Pharaonem, alimenta petens. Quibus ille respondit: Ite ad Ioseph: et quidquid ipse vobis dixerit, facite (Gn 41, 55).

2. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus (Mt 1, 16).

3. Ioseph autem vir eius cum esset iustus, et nollet eam traducere: voluit occulte dimittere eam (Mt 1, 19).

4. Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph (Lc 3, 23).

5. Qui custos est domini sui, glorificabitur (Pro 27, 18).

Ira. — Iracundia.

(Cf. Condonatio — Mansuetudo—Odium).

1. Desine ab ira, et derelinque furorem (Ps 36, 8).

2. Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat iniuriam callidus est (Pro 12, 16).

3. Vere stultum interficit iracundia (Ib 5, 2).

4. Vir iracundus provocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas (Pro 15, 18).

5. Noli esse amicus homini iracundo (Pro 22, 24).

6. Grave est saxum et onerosa arena: sed ira stulti utroque gravior (Pro 27, 3).

7. Memorare timorem Dei, et non irascaris proximo (Eccli 28, 8).

8. Zelus et iracundia minuunt dies (Eccli 30, 26).

9. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio (Mt 5, 22).

10. Sit autem omnis homo... tardus ad iram. Ira enim viri, iustitiam Dei non operatur (Iac 1, 19 20).

Iudicia hominum.

1. Vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris: ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum (Ps 61, 10).

2. Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate (Io 7, 24).

3. Mihi autem pro minimo est ut a vobis iudicer, aut ab humano die (1 Cor 4, 3).

4. Qui autem iudicat me, Dominus est (1 Cor 4, 4).

Iudicia temeraria.

1. Nolite iudicare, ut non iudicemini (Mt 7, 1).

2. Propter quod inexcusabilis es o homo omnis, qui iucicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis quae iudicas (Rom 2, 1).

3. Existimas autem hoc o homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies iudicium Dei (Rom 2, 3)?

4. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi (Rom 14, 10).

5. In quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini: et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis (Mt 7, 2).

6. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: et trabem in oculo tuo non vides (Mt 7, 3)?

7. Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine eiiciam festucam de oculo tuo: et ecce trabs est in oculo tuo (Mt 7, 4)?

8. Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui (Mt 7, 5. — Cf. Iudicium generale n. 71).

Iudicium generale.

1. *Dies magna.* Dies irae dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbinis (Soph 1, 15).

2. Magnus enim dies Domini, et terribilis valde: et quis sustinebit eum (Ioel 2, 11)?

3. *Iudicii necessitas.* In diem perditonis servatur malus, et ad diem furoris ducetur (Ib 21, 30. — Cf. Deus n. 68).

4. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo (Ps 74, 3).

5. Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum (2 Cor 5, 10).

6. *Signa praecedentia.* Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto dicentes: Dic nobis, quando haec erunt? et quod signum adventus tui, et consumationis saeculi (Mt 24, 3)?

7. Audituri enim estis proelia, et opiniones proeliorum. Videte ne turbemini: oportet enim haec fieri, sed nondum est finis (Mt 24, 6).

8. Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiae, et fames, et terrae motus per loca (Mt 24, 7).

9. Haec autem omnia initia sunt dolorum (Mt 24, 8).

10. Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos: eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum (Mt 24, 9).

11. Scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem (Mt 24, 10).

12. Et praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet consumatio (Mt 24, 14).

13. Cum ergo videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat (Mt 24, 15):

14. Tunc qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes (Mt 24, 16):

15. Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua (Mt 24, 17):

16. Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam (Mt 24, 18).

17. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet (Mt 24, 21).

18. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi (Mt 24, 22).

19. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere (Mt 24, 23).

20. Surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetae: et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi (Mt 24, 24).

21. Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de coelo, et virtutes coelorum commovebuntur (Mt 24, 29).

22. Ab arbore autem fici discite parabolam: cum iam ramus eius tener fuerit, et folia nata, scitis quia prope est aestas (Mt 24, 32):

23. Ita et vos cum videritis haec omnia, scitote quia prope est in ianuis (Mt 24, 33).

24. De die autem illa,

et hora nemo scit, neque Angeli coelorum, nisi solus Pater (Mt 24, 36).

25. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam (Mt 24, 38).

26. Et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes: ita erit et adventus Filii hominis (Mt 24, 39).

27. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit (Mt 24, 42).

28. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam (Mt 24, 43).

29. Ideo et vos estote parati: quia qua nescitis hora Filius homiventurus est (Mt 24, 44).

30. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti: et nos immutabimur (1 Cor 15, 52).

31. Et dedit mare mortuos, qui in eo erant: et mors, et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant: et iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum (Apc 20, 13).

32. Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo coeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera, exurentur (2 Petr 3, 10).

33. Vidi alium Angelum fortem descendentem de coelo amictum nube, et iris in capite eius, et facies eius erat ut sol, et pedes eius tamquam columnae ignis (Apc 10, 1):

34. Et habebat in manu sua libellum apertum: et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram (Apc 10, 2):

35. Et clamavit voce

magna, quemadmodum cum leo rugit. Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas (Apc 10, 3).

36. Et Angelus, quem vidi stantem super mare et super terram, levavit manum suam ad coelum (Apc 10, 5):

37. Et iuravit per viventem in saecula saeculorum, qui creavit coelum, et ea quae in eo sunt: et terram, et ea quae in ea sunt: et mare, et ea quae in eo sunt: Quia tempus non erit amplius (Apc 10, 6).

38. *Locus.* Consurgant, et ascendant gentes in vallum Iosaphat: quia ibi sedebo ut iudicem omnes gentes in circuitu (Ioel 3, 12).

39. *Cito veniet.* Finis venit, venit finis, evigilavit adversum te: ecce venit (Ez 7, 6).

40. A a a, diei: quia prope est dies Domini, et quasi vastitas a potente veniet (Ioel 1, 15).

41. Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est et velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis (Soph 1, 14).

42. Tamquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terrae (Lc 21, 35).

43. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae futura sunt, et stare ante Filium hominis (Lc 21, 36).

44. *Congregatio.* Mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna: et congregabunt electos eius a quatuor ventis, a summis coelorum usque ad terminos eorum (Mt 24, 31).

45. *Christi apparitio.* Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum opera eius (Mt 16, 27).

46. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occi-

dentem: ita erit et adventus Filii hominis (Mt 24, 27).

47. Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae (Mt 24, 28).

48. Tunc parebit signum Filii hominis in coelo: et tunc plangent omnes tribus terrae: et videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli cum virtute multa, et maiestate (Mt 24, 30. — Cf. Angeli n. 1. — Passio n. 25).

49. Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? et cum quaesierit, quid respondebo illi (Ib 31, 14)?

50. *Iudices.* An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt (1 Cor 6, 2)?

51. Cum Christus apparuerit, vita vestra: tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria (Col 3, 4).

52. *Separatio.* Cum autem venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae (Mt, 25, 31):

53. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segragat oves ab hoedis (Mt 25, 32):

54. Et statuet oves quidem a dextris suis, hoedos autem a sinistris (Mt 25, 33).

55. Cuius ventilabrum in manu sua: et permundabit aream suam: et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili (Mt 3, 12).

56. Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala, et eos, qui faciunt iniquitatem (Mt 13, 41):

57. Et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, et stridor dentium (Mt 13, 42).

58. Tunc duo erunt in agro: unus assumetur, et unus relinquetur (Mt 24, 40):

59. Duae molentes

in mola: una assumetur, et una relinquetur (Mt 24, 41).

60. Planget terra: familiae et familiae seorsum: familiae domus David seorsum, et mulieres eorum seorsum (Za 12, 12).

61. *Manifestatio.* Tu enim fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, et in conspectu solis (2 Reg 12, 12).

62. Spes hypocritae peribit (Ib 8, 13).

63. Revelabunt coeli iniquitatem eius, et terra consurget adversus eum (Ib 20, 27).

64. Liber apertus est, qui est vitae: et iudicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum (Apc 20, 12).

65. ... Scrutabor Ierusalem in lucernis (Soph 1, 12).

66. Nihil enim est opertum, quod non revelabitur: et occultum, quod non scietur (Mt 10, 26).

67. Facies combustae vultus eorum (Is 13, 8).

Ergo et tu porta confusionem tuam (Ez 16, 52).

68. Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt (Lc 19, 40).

69. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos: et collibus: Operite nos (Lc 23, 30).

70. Quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet (Lc 23, 31)?

71. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus: qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium: et tunc laus erit unicuique a Deo (1 Cor 4, 5).

72. Et si iustus vix salvabitur, impius, et peccator ubi parebunt (1 Petr 4, 18)?

73. *Nullus defensor.* Frater non redimit (Ps 48, 8).

74. Et Noe, et Daniel, et Iob fuerint in me-

dio eius: vivo ego, dicit Dominus Deus, quia filium, et filiam non liberabunt: sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas (Ez 14, 20).

75. Anima, quae peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii: iustitia iusti super eum erit, et impietas impii erit super eum (Ez 18, 20).

76. Argentum eorum, et aurum eorum non poterit liberare eos in die irae Domini (Soph 1, 18).

77. *Sententia iustorum*. Tunc dicet rex his, qui a dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi (Mt 25, 34. — Cf. Caritas n. 65 sqq).

78. *Sententia reproborum*. Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum (Sap 5, 18. — Cf. Peccatum n. 25. — Infernus n. 13).

79. Quis novit potestatem irae tuae: et prae timore tuo iram tuam dinumerare (Ps 89, 11 12)?

80. Haec fecisti, et tacui. Existimasti inique quod ero tui similis: arguam te, et statuam contra faciem tuam (Ps 49, 21).

81. Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis eius (Mt 25, 41. — Cf. Caritas n. 71. — Sacrilegium n. 12).

82. *Reproborum desperatio*. Dicentes intra se, poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii (Sap 5, 3).

83. Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore (Sap 5, 4):

84. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est (Sap 5, 5).

85. Ergo erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis (Sap 5, 6).

86. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus (Sap 5, 7).

87. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum iactantia quid contulit nobis (Sap 5, 8)?

88. Transierunt omnia illa tamquam umbra, et tamquam nuntius percurrens (Sap 5, 9),

89. Et tamquam navis, quae pertransit fluctuantem aquam: cuius, cum praeterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinae illius in fluctibus (Sap 5, 10).

90. Iusti autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum (Sap 5, 16).

91. *Estote parati*. Si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur (1 Cor 11, 31).

Iudicium particulare.

(Cf. Mors n. 22).

1. Et cuncta, quae fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit (Eccle 12, 14).

2. Horrendum est incidere in manus Dei viventis (Hebr 10, 31).

3. Unusquisque enim onus suum portabit (Gal 6, 5).

4. Nolite errare: Deus non irridetur (Gal 6, 7).

5. Quae enim seminaverit homo, haec et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de

spiritu metet vitam aeternam (Gal 6, 8).

6. Et cum electo electus eris: et cum perverso, perverteris (Ps 17, 27).

7. Narra si quid habes ut iustificeris (Is 43, 26. — Cf. Sacrilegium n. 12).

8. Non intres in iudicium cum servo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens (Ps 142, 2).

9. Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit (Ps 129, 3)?

10. Cum exarserit in brevi ira eius, beati omnes, qui confidunt in eo (Ps 2, 13).

11. In memoria aeterna erit iustus: ab auditione mala non timebit (Ps 111, 7).

Iuramentum.

1. Iuratione non assuescat os tuum, multi enim casus in illa (Eccli 23, 9).

2. Audistis quia dictum est antiquis: Non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua (Mt 5, 33).

3. Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per coelum, quia thronus Dei est (Mt 5, 34):

4. Neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Ierosolymam, quia civitas est magni regis (Mt 5, 35):

5. Neque per caput tuum iuraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum (Mt 5, 36).

6. Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, a malo est (Mt 5, 37).

Iustificatio.

(Cf. Iesus Christus n. 1 sqq).

Iustitia Dei.

(Cf. Deus).

Iustus.

1. Beati, quorum remissae sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata (Ps 31, 1).

2. Convertimini, et videbitis quid sit inter iustum, et impium: et inter servientem ei (Mal 3, 18).

3. Gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum, Iudaeo primum, et Graeco (Rom 2, 10. — Cf. Gloria vana n. 2. — Deus n. 91 sqq).

4. Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet (Is 3, 10).

5. Timor Domini apponet dies (Pro 10, 27).

6. Noli timere Abram, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis (Gn 15, 1).

7. Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque IN TE benedicentur universae cognationes terrae (Gn 12, 3).

8. Numquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, et rectus ac timens Deum, et recedens a malo? (Ib 1, 8. — Cf. Mors n. 43 sqq).

9. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius (Sap 4, 11).

10. Consummatus in brevi explevit tempora multa (Sap 4, 13):

11. Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum (Sap 4, 14). Vir fidelis multum laudabitur (Pro 28, 20).

12. Memoria iusti cum laudibus: et nomen impiorum putrescet (Pro 10, 7. — Cf. Iudicium gen. n. 82 sqq — Sancti n. 1 sqq).

Iuvenes.

1. Memento Creatoris tui in diebus iuventutis tuae, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent (Eccle

12, 3. — Cf. Occasiones n. 1 sqq).

2. Proverbium est: Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea (Pro 22, 6).

3. Quae in iuventute tua non congregasti, quomodo in senectute tua invenies (Eccli 25, 5)?

4. Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua (Thr 3, 27).

5. Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua. Adolescentia enim et voluptas vana sunt(Eccle 11, 10).

6. In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos (Ps 118, 9),

7. Cumque esset iunior omnibus in tribu Nephtali, nihil tamen puerile gessit in opere (Tob 1, 4. — Cf. Sapientia n. 7 sqq. — Musica).

8. Numquam cum ludentibus miscui me: neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me praebui (Tob 3, 17). — (Cf. Matrimonium n. 2 sqq).

9. Cum adhuc iunior essem, priusquam oberrarem, quaesivi sapientiam palam in oratione mea (Eccli 51, 18).

10. Ante templum postulabam pro illa, et usque in novissimis inquiram eam. Et effloruit tamquam precox uva (Eccli 51, 19), Laetatum est cor meum in ea (Eccli 51, 20).

11. Similiter adolescentes subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (1 Petr 5, 5. — Cf- Superbia n. 2. — Discretio n. 14. — Vita n. 19.)

12. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis (1 Petr 5, 6).

13. Laetare ergo iuvenis in adolescentia

tua, et in bono sit cor tuum in diebus iuventutis tuae, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum: et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium (Eccle 11, 9).

14. Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiae eius, et cum eo in pulvere dormient (Ib 20, 11).



L

Labor.

(Cf. Pigritia. — Otiositas. — Studium).

1. Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum (Gn 2, 15).

2. Adae vero dixit: Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae (Gn 3, 17).

3. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terrae (Gn 3, 18).

4. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, et in pulverem reverteris (Gn 3, 19).

5. Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum (Ib 5, 7).

6. Sicut acetum dentibus, et fumus oculis, sic piger his, qui miserunt eum (Pro 10, 26).

7. Vult et non vult piger: anima autem operantium impinguabitur (Pro 13, 4).

8. In omni opere erit abundantia: ubi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas (Pro 14, 23).

9. Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis (Pro 18, 9).

10. Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus eius operari (Pro 21, 25).

11. Dicit piger: Leo

est foris, in medio platearum occidendus sum (Pro 22, 13).

12. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo (Pro 26, 14).

13. Abscondit piger manum sub ascella sua, et laborat si ad os suum eam converterit (Pro 26, 15).

14. Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat: saturatis autem divitis non sinit eum dormire (Eccle 5, 11).

15. Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti (Pro 24, 30):

16. Et ecce totum repleverant urticae, et operuerant superficiem eius spinae, et maceria lapidum destructa erat (Pro 24, 31).

17. Parum, inquam, dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres, ut quiescas (Pro 24, 33):

18. Et veniet tibi quasi cursor egestas, et mendicitas quasi vir armatus (Pro 24, 34).

19. Vade ad formicam o piger, et considera vias eius, et disce sapientiam (Pro 6, 6):

20. Parat in aestate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat (Pro 6, 8).

21. Veniet tibi quasi viator, egestas, et pauperies quasi vir armatus. Si vero impiger fueris, veniet ut fons messis tua, et egestas longe fugiet a te (Pro 6, 11).

22. Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat (Pro 10, 4).

23. Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit aestate, filius confusionis (Pro 10, 5).

24. In omnibus operibus tuis esto velox, et omnis infirmitas non occurret tibi (Eccli 31. 27).

25. Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, et bene

tibi erit (Ps 127, 2. — Cf. Mulier n. 20 sqq).

26. Nonne hic est fabri filius (Mt 13, 55? — Cf. Iesus Christus n. 44).

Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari (Io 9, 4).

27. Si quis non vult operari, nec manducet (2 Thess 3, 10).

28. Labora sicut bonus miles Christi Iesu (2 Tim 2, 3).

29. Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis (2 Tim 2, 15).

30. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino ad omne opus bonum paratum (2 Tim 2, 21).

31. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple. Sobrius esto (2 Tim 4, 5).

32. Quia eiusdem erat artis, manebat apud eos, et operabatur: (erant autem scenofactoriae artis) (Act 18, 3).

Ipsi scitis: quoniam ad ea, quae mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istae (Act 20, 34).

33. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos... (Act 20, 35. — Cf. Agricultura).

34. Non quasi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse (Phil 4, 11).

Lacrimae.

(Cf. Tristitia. — Gaudium. — Beatitudines n. 5. — Iesus Christus n. 83).

1. Amen, amen dico vobis: quia plorabitis, et flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium (Io 16, 20).

2. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressurae propter gaudium: quia natus est homo in mundum (Io 16, 21).

3. Nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum: et gaudium vestrum nemo tollet a vobis (Io 16, 22).

Latro bonus.

(Cf. Passio n. 141).

Laus.

1. Non est speciosa laus in ore peccatoris (Eccli 15, 9).

2. Laudet te alienus, et non os tuum (Pro 27, 2).

3. Ante mortem ne laudes hominem quemquam (Eccli 11, 30).

Lectio.

Attende lectioni (1 Tim 4, 13). Qui legit, intelligat (Mt 24, 15). —Cf. Scriptura — Libri mali).

Legislatores.

Vae qui condunt leges iniquas: et scribentes, iniustitiam scripserunt (Is 10, 1).

Lex vetus.

Omnes enim prophetae, et lex usque ad Ioannem prophetaverunt (Mt 11, 13).

Libertas.

1. Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui (Eccli 15, 14).

2. Adiecit mandata et praecepta sua (Eccli 15, 15):

3. Si volueris mandata servare, conservabunt te (Eccli 15, 16).

4. Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam (Eccli 15, 17).

5. Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi (Eccli 15, 18).

6. Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria aeterna: qui potuit transgredi, et non est transgressus: facere mala, et non fecit (Eccli 31, 10).

7. Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati (Io 8, 34).

8. Libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis: a quo enim quis superatus est, huius et servus est (2 Petr 2, 19).

9. Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis (Io 8, 36).

10. Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis eius, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad iustitiam? (Rom 6, 16. — Cf. Libertas n. 2).

11. Liberati autem a peccato, servi facti estis iustitiae (Rom 6, 18).

12. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiae, et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem (Rom 6, 19).

13. Ubi autem Spiritus Domini: ibi libertas (2 Cor 3, 17).

Libri mali.

Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus: et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium (Act 19, 19).

Lingua.

(Cf. Silentium, — Discretio — Multiloquium — Detractio).

Lites.

(Cf. Inimici — Condonatio).

1. Semper iurgia quaerit malus (Pro 17, 11. — Cf. Propinqui n. 1 2).

2. Abstine te a lite, et minues peccata (Eccli 28, 10).

3. Honor est homini, qui separat se a contentionibus (Pro 20, 3).

4. Servum autem Domini non oportet litigare (2 Tim 2, 24).

Luxuria.

(Cf. Adulterium n. 1, 4).

1. *Illius turpitudo.* Interroga iumenta, et docebunt te: et volatilia coeli, et indicabunt tibi (Ib 12, 7).

2. Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (Ps 31, 9).

3. Et homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis (Ps 48, 13).

4. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit (1 Cor 6, 15).

5. Glorificate, et portate Deum in corpore vestro (1 Cor 6, 20).

6. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem (1 Thess 4, 7).

7. *Poenae spirituales.* Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est (Gn 6, 3).

8. Gustavi in summitate virgae, quae erat in manu mea, paululum mellis, et ecce ego morior (1 Reg 14, 43).

9. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam (Pro 6, 32).

10. Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum: quia spiritus fornicationum in medio eorum, et Dominum non cognoverunt (Os 5, 4).

11. Qui cum iustitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus (Rom 1, 32).

12. *Poenae temporales.* Poenituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus (Gn 6, 6),

13. Delebo inquit, hominem, quem creavi, a facie terrae (Gn 6, 7).

14. Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina (Ib 31, 12).

15. Favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur eius (Pro 5, 3):

16. Novissima autem illius amara quasi absynthium, et acuta quasi gladius biceps (Pro 5, 4).

17. Non concupiscat pulchritudinem eius cor tuum, nec capiaris nutibus illius (Pro 6, 25).

18. Turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur (Pro 6, 33).

19. Fovea enim profunda est meretrix (Pro 23, 27).

20. *Poena aeterna.* Magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiae ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes (2 Petr 2, 10. — Cf. Coelum n. 49 sqq).

21. *Vigilandum in senectute.* Cumque iam esset senex, depravatum est cor eius per mulieres (3 Reg 11, 4).

M

Magdalena.

(Cf. Iesus Christus n. 71 sqq).

1. Iesus ergo ante sex dies Paschae venit Bethaniam (Io 12, 1).

2. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi, et unxit pedes Iesu, et extersit pedes eius capillis suis: et domus impleta est ex odore unguenti (Io 12, 3).

3. Stabant iuxta crucem Iesu mater eius... et Maria Magdalene (Io 19, 25).

4. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum: et nescio ubi posuerunt eum (Io 20, 13).

5. Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum (Io 20, 17. — Cf. Ascensio n. 3).

Mali.

(Cf. Impii — Incredulitas).

1. *Multitudo.* Stultorum infinitus est numerus (Eccle 1, 15. — Cf. Ecclesia n. 19 sqq. — Mundus n. 15 sqq).

2. Ex fructibus eorum cognoscetis eos (Mt 7, 20. — Cf. Doctrina perversa n. 1 sqq).

3. *Eorum falsa felicitas.* Noli aemulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem (Ps 36, 1).

4. Quoniam tamquam fœnum velociter arescent: et quemadmodum olera herbarum cito decident (Ps 36, 2).

5. Adhuc pussillum, et non erit peccator: et quaeres locum eius, et non invenies (Ps 36, 10).

6. Vidi impium superexaltatum, et eleva-

tum sicut cedros Libani (Ps 36, 35).

7. Et transivi, et ecce non erat: et quaesivi eum, et non est inventus locus eius (Ps 36, 36).

8. Ne timueris cum dives factus fuerit homo: et cum multiplicata fuerit gloria domus eius (Ps 48, 17).

9. Quoniam cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria eius (Ps 48, 18).

10. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns (Ps 72, 3).

11. Ecce ipsi peccatores, et abundantes in saeculo, obtinuerunt divitias (Ps 72, 12).

12. Verumtamen propter dolos posuisti eis: deiecisti eos dum allevarentur (Ps 72,18).

13. Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam (Ps 72, 19).

14. Velut somnium surgentium Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges (Ps 72, 20).

15. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate (Ps 51, 3)?

16. Propterea Deus destruet te in finem, evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo: et radicem tuam de terra viventium (Ps 51, 7).

17. Videbunt iusti, et timebunt, et super eum ridebunt et dicent (Ps 51, 8):

18. Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum: Sed speravit in multitudine divitiarum suarum: et praevaluit in vanitate sua (Ps 51, 9).

19. Usquequo peccatores Dominus: usquequo peccatores gloriabuntur (Ps 93, 3).

20. Prosperitas stultorum perdet illos (Pro 1, 32. — Cf. Calamitas n. 3).

21. Via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruant (Pro 4, 19).

22. *Consilia eorum contra bonos.* Incidit in foveam, quam fecit (Ps 7, 16. — Cf. Tolerantismus).

23. Mentita est iniquitas sibi (Ps 26, 12).

24. Qui fodit foveam, incidet in eam: et qui volvit lapidem, revertetur ad eum (Pro 26, 27).

25. *Eorum poenae, remorsus.* — Cf. Remorsus). Dominum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor (Ps 13, 5).

26. Tribulatio, et angustia in omnem animam hominis operantis malum (Rom 2, 9).

27. Similiter et hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant (Iu 8).

28. Dixi in corde filiis hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestiis (Eccle 3, 18).

29. Imitantur autem illum (diabolum) qui sunt ex parte illius (Sap 2, 25).

30. Ecce servi mei comedent, et vos esurietis: ecce servi mei bibent, et vos sitietis (Is 65, 13):

31. Ecce servi mei laetabuntur, et vos confundemini: ecce servi mei laudabunt prae exsultatione cordis, et vos clamabitis prae dolore cordis, et prae contritione spiritus ululabitis (Is 65, 14).

32. Anni impiorum breviabuntur (Pro 10, 27. — Cf Mors 41).

Malum.

1. Vae qui dicitis malum bonum, et bonum malum: ponentes tenebras lucem (Is 5, 20).

2. *Malum poenae.* Bona et mala, vita et mors.... a Deo sunt (Eccli 11, 14).

3. *Malum culpae non a Deo.* Deus...intentator malorum est (Iac 1, 13).

4. Non... faciamus mala ut veniant bona (Rom 3, 8).

Mandata divina.

1. *Necessitas adimplendi ea.* Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere (Mt 5, 17).

2. Amen quippe dico vobis, donec transeat coelum et terra, iota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant (Mt 5, 18).

3. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum: qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum (Mt 5, 19).

4. Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam aeternam (Mt 19, 16)?

5. Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata (Mt 19, 17).

6. Hoc fac, et vives (Lc 10, 28).

7. Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis (Io 8, 31).

8. Si diligitis me: mandata mea servate (Io 14, 15). — Cf. Caritas n. 26 sqq),

9. Et scio quia mandatum eius vita aeterna est (Io 12, 50).

10. Eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo (Dt 6, 6):

11. Et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens (Dt 6, 7).

12. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos (Dt 9, 8),

13. Scribesque ea in

limine, et ostiis domus tuae (Dt 6, 9).

14. Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei (Gal 6, 16).

15. *Utilitas.* Quia non incassum praecepta sunt vobis, sed ut singuli in eis viverent (Dt 32, 47).

16. Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini (Ps 18, 1).

17. Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum: et dulciora super mel et favum (Ps 18, 11).

18. Etenim servus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa (Ps 18, 12).

19. Narraverunt mihi iniqui fabulationes: sed non ut lex tua (Ps 118, 85).

20. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in aeternum mihi est (Ps 118, 98).

21. Ideo dilexi mandata tua, super aurum et topazion (Ps 118, 127).

22. Declaratio sermonum tuorum illuminat: et intellectum dat parvulis (Ps 118, 130).

23. Os meum aperui, et attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam (Ps 118, 131). — Cf. Regulae religiosae n. 1 2).

24. *Facilitas.* Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum (Dt 30, 11),

25. Nec in coelo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad coelum ascendere, ut deferat illud ad nos, et audiamus atque opere compleamus (Dt 30, 12)?

26. Neque trans mare positum: ut causeris, et dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usque deferre: ut possimus audire, et facere quod praeceptum est (Dt 30, 13)?

27. Sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum (Dt 30, 14).

28. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis (Ps 118, 14).

29. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum (Ps 118, 32).

30. Latum mandatum tuum nimis (Ps 118, 96).

31 Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo (Ps 118, 103)!

32. Et mandata eius gravia non sunt (1 Io 5, 3).

33. *Minae.* En propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem (Dt 11, 26):

34. Benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quae ego hodie praecipio vobis (Dt 11, 27):

35. Maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri (Dt 11, 28. — Cf. Promissiones Baptismi n. 1).

36. Increpasti superbos: maledicti qui declinant a mandatis tuis (Ps 118, 21).

37. Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea (Lv 26, 14):

38. Ego quoque haec faciam vobis: Visitabo vos velociter in egestate, et ardore, qui conficiat oculos vestros, et consumat animas vestras. Frustra seretis sementem, quae ab hostibus devorabitur (Lv 26, 16).

39. Ponam faciem meam contra vos, et corruetis coram hostibus vestris, et subiiciemini his qui oderunt vos: fugietis, nemine persequente (Lv 26, 17).

40. Et conteram superbiam duritiae vestrae. Daboque vobis coelum desuper sicuti ferrum, et terram aeneam (Lv 26, 19).

41. Consumetur incassum labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma praebebunt (Lv 26, 20. — Cf. Peccatum n. 18).


42. *Promissiones.* Si in praeceptis meis ambulaveritis, et mandata mea custodieritis, et feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis (Lv 26, 3),

43. Et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur (Lv 26, 4).

44. Dabo pacem in finibus vestris: dormietis, et non erit qui exterreat. Auferam malas bestias: et gladius non transibit terminos vestros (Lv 26, 6).

45. Persequimini inimicos vestros, et corruent coram vobis (Lv 26, 7).

46. Comedetis vetustissima veterum, et vetera novis supervenientibus proiicietis (Lv 26, 10. — Cf. Deus n. 92 sqq).



Mansuetudo.

(Cf. Indulgentia. — Misericordia).

1. Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subiectos tibi (Eccli 4, 35. — Cf. Beatitudines n. 4).

2. Irascimini, et nolite peccare (Ps 4, 5).

3. Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum (Rom 14, 1).

4. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere (Rom 15, 1).

5. Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit: et si expueris super illam, extinguetur: utraque ex ore proficiscuntur (Eccli 28, 14).

6. Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem (Pro 15, 1).

7. Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos: et lingua eucharis in bono

homine abundat (Eccli 6, 5).

8. Suscipens mansuetos Dominus: humilians autem peccatores usque ad terram (Ps 146, 6).

Maria.

1. *Conceptio.* Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius (Gn 3, 15).

2. Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est (Est 15, 13).

3. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus (Ps 45, 5).

4. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias (Cant 2, 2).

5. Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te (Cant 4, 7).

6. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui (Cant 4, 9).

7. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus (Cant 4, 12).

8. *Nativitas.* Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? (Cant 6, 9. — Cf. Iesus Christus n. 29).

9. *Praesentatio.* Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam: et obliviscere populum tuum, et domum patris tui (Ps 44, 11).

10. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis? (Cant 7, 1. — Cf. Vocatio n. 16).

11. *Virginas.* Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel (Is 7, 14. — Cf. Annuntiatio n. 7).

12. Tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri (Idt 15, 10).

13. Omnis gloria eius

filiae regis ab intus (Ps 44, 14).

14. *Maternitas.* (Cf. Annuntiatio. — Verbum Dei n. 41).

15. *Merita.* Multae filiae congregaverunt divitias: tu supergressa es universas (Pro 31, 29).

16. *Mater 7 dolorum.* (Cf. Maria n. 33 sqq. — Iesus Christus n. 38). Deduc quasi torrentem lacrimas per diem, et noctem: non des requiem tibi neque taceat pupilla oculi tui (Thr 2, 18).

17. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus (Thr 1, 12).

18. Cui comparabo te? vel cui assimilabo te filia Ierusalem? cui exaequabo te, et consolabor te virgo filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui? (Thr 2, 13. — Cf. Mater n. 4).

19. Ne vocetis me Noemi (id est, pulchram) sed vocate me Mara (id est, amaram) quia amaritudine valde replevit me Omnipotens (Ru 1, 20. — Cf. Passio n. 146 sqq).

20. *Assumptio.* Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua: exsultabimus et laetabimur in te..... recti diligunt te (Cant 1, 3).

21. Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum (Cant 8, 5)?

22. Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato: circumdata varietate (Ps 44, 10).

23. *Potentia in coelo.* Deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent (Io 2, 3).

24. Et dicit ei Iesus: Quid mihi, et tibi est mulier? nondum venit hora mea (Io 2, 4).

25. Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite (Io

2, 5). *Et Iesus primum patravit miraculum.*

26. Positusque est thronus matri regis, quae sedit ad dexteram eius (3 Reg 2, 19).

27. Pete mater mea: neque enim fas est ut avertam faciem tuam (3 Reg 2, 20).

28. Mecum sunt divitiae, et gloria, opes superbae, et iustitia (Pro 8, 18).

29. Ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam (Pro 8, 21).

30. Dominare nostri tu, et filius tuus,... quia liberasti nos de manu Madian (Idc 8, 22).

31. Posuerunt me custodem (Cant 1, 5).

32. *Benignitas.* Quomodo enim potero sustinere necem et interfectionem populi mei (Est 8, 6)?

33. *Maria apparens in Salettensi monte.* (Cf. Magdalena n. 4). Tollens autem Respha filis Aia, cilicium substravit sibi supra petram ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de coelo: et non dimisit aves lacerare eos per diem, neque bestias per noctem (2 Reg 21, 10).

34. Propterea dixi: Recedite a me, amare flebo: nolite incumbere ut consolemini me super vastitate filiae populi mei (Is 22, 4. — Cf. Innocentes. — Parentes n. 4 sqq).

35. *Devotio erga Mariam.* Quia respexit humilitatem ancillae suae: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes (Lc 1, 48).

36. Quia fecit mihi magna qui potens est: et sanctum nomen eius (Lc 1, 49).

37. Si venis mecum, vadam: si nolueris venire mecum, non pergam (Idc 4, 8).

38. Tu invoca Dominum, et loquere regi pro nobis, et libera nos de morte (Est 15, 3).

39. Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei (Eccli 24, 24).

40. In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis (Eccli 24, 25).

41. Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt (Eccli 24, 31).

42. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino (Pro 8, 35):

43. Qui autem in me peccaverit, laedet animam suam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem (Pro 8, 36).

44. Salutate Mariam, quae multum laboravit in vobis (Rom 16, 6. — *Sensus accommodat*).

45. Draco stetit ante mulierem, quae erat paritura: ut cum peperisset, filium eius devoraret (Apc 12, 4).

46. *Mensis Marianus.* Mensis iste, vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni (Ex 12, 2).



Martyres.

1. Elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari immundis (1 Mach 1, 65):

2. Noluerunt infringere legem Dei sanctam, et trucidati sunt (1 Mach 1, 66).

3. Moriamur omnes in simplicitate nostra: et testes erunt super nos coelum, et terra, quod iniuste perditis nos (1 Mach 2, 37. — Cf. Abstinentia n. 6 sqq — Mater n. 5 — Sancti n. 21).

Mater.

1. Ad quam locuta filia Pharaonis: Accipe, ait, puerum istum, et nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier, et nutrivit puerum: adultumque tradidit filiae Pharaonis (Ex 2, 9. — Cf. parentes n. 4 sqq).

2. Sicut mater, ita et filia eius (Ez 16, 44).

3. *Vigilantes sint,* secus: Filia populi mei crudelis, quasi struthio

in deserto (Thr 4, 3. — Cf. Luxuria n. 21).

4. *Agar* abiit, seditque e regione procul quantum potest arcus iacere: dixit enim: Non videbo morientem puerum: et sedens contra, levavit vocem suam et flevit (Gn 21, 16. — Cf. Innocentes, Maria n. 33 — Caritas Dei n. 5).

5. Supra modum autem mater mirabilis, et bonorum memoria digna, quae pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat propter spem, quam in Deum habebat (2 Mach 7, 20):

6. Singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia: et, femineae cogitationi masculinum animum inserens (2 Mach 7, 21 — Cf. Iesus Christus, 67 et sqq).

Matrimonium.

(Cf. Nuptiae. — Virginitas. — Uxor. — Vir. — Mulier).

1. Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram (Gn 1, 28).

2. Relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in carne una (Gn 2, 24).

3. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit, moechatur (Mt 19, 9).

4. Nam quae sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri (Rom 7, 2).

5. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri: ut non sit adultera si fuerit cum alio viro (Rom 7, 3).

6. Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione, et

sanctificatione cum sobrietate (1 Tim 2, 15).

7. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia (Eph 5, 32).

8. Honorabile connubium.... et thorus immaculatus (Hebr 13, 4).

9. Quod... Deus coniunxit, homo non separet (Mc 10, 9).

10. Quid si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri (1 Cor 7, 9).

11. *Ait Angelus ad Tobiam:* Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum a se, et a sua mente excludant, et suae libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem daemonium super eos (Tob 6, 17).

12. *Orabat Sara:* Virum.... cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere (Tob 3, 18).

13. Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus (Tob 6, 22).

14. Domine tu scis, quia non luxuriae causa accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in saecula saeculorum (Tob 8, 9).

Mediator.

(Cf. Iesus Christus n. 112 sqq).

Medicus.

1. Honora medicum propter necessitatem: etenim illum creavit Altissimus (Eccli 38, 1).

2. Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa (Eccli 38, 4. — Cf. Æger n. 7).

Meditatio.

1. Redite praevaricatores ad cor (Is 46, 8).

2. Desolatione desolata est omnis terra: quia nullus est qui recogitet corde (Ir 12, 11).

3. In omnibus operi-

bus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis (Eccli 7, 40. — Cf. Eucharistia n. 30. — Praesumptio n. 2).

4. Sedebit solitarius, et tacebit: quia levavit super se (Thr 3, 28).

5. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi (Mt 6, 6).

6. Qui mane vigilant ad me, invenient me (Pro 8, 17).

7. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam (Ps 84, 9).

8. Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu (2 Cor 3, 18).

9. Haec meditare, in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus (1 Tim 4, 15).

10. Beatus homo, quem tu erudieris Domine: et de lege tua docueris eum (Ps 93, 12).

11. Beati, qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum (Ps 118, 2).

12. *(Isaac)* Egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die (Gn 24, 63). Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est (Ps 118, 99).

13. Super senes intellexi: quia mandata tua quaesivi (Ps 118, 100).

14. Cogitavi dies antiquos: et annos aeternos in mente habui (Ps 76, 6).

15. Praevenerunt oculi mei ad te diluculo: ut meditarer eloquia tua (Ps 118, 148).

16. Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo (Lc 2, 19).

Memoriale missionum.

(Cf. Missiones).

1. Quando interrogaverint filii vestri cras patres suos, et dixerint eis: Quid sibi volunt lapides isti (Ios 4, 21)?

2. Docebitis eos, atque dicetis: Per arentem alveum transivit Israel Iordanem istum (Ios 4, 22),

3. Siccante Domino Deo vestro aquas eius in conspectu vestro, donec transieritis (Ios 4, 23).

Mendacium.

1. Os... quod mentitur, occidit animam (Sap 1, 11).

2. Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri (Act 5, 3)?

3. Nonne manens tibi manebat, et venumdatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo (Act 5, 4).

Mercenarius.

(Cf. Pastor bonus).

Merita.

(Cf. Actiones et Opera bona).

1. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum (Rom 4, 4. — Cf. Actiones n. 2 3).

2. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem (1 Cor 3, 8).

3. Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, et immobiles: abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino (1 Cor 15, 58).

Messias.

(Cf. Iesus Christus n. 12).

1. Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum (Dan 9, 24).

2. Scito ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt: et rursum aedifidabitur platea, et muri in angustia temporum (Dan 9, 25).

3. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio (Dan 9, 26).

4. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis: et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio (Dan 9, 27).

5. Et movebo omnes gentes: ET VENIET DESIDERATUS cunctis gentibus: et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum (Agg 2, 8).

6. Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeretis, et angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum (Mal 3, 1).

Milites.

1. Iudas vero, et qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congressi sunt (2 Mach 15, 26).

2. Manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, praesentia Dei magnifice delectati (2 Mach 15, 27).

Miraculum.

1. Confitemini Domino... qui facit mirabilia magna solus (Ps 135, 3 4).

2. Dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei est hic (Ex 8, 19. — Cf. Iesus Christus n. 170 sqq).

3. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado (Io 14, 12).

4. In plateas .... infirmos .... ponerent in lectulis ac grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum. ...Concurrebat autem et multitudo .... afferentes aegros .... qui curabantur omnes (Act 5, 15 16).

5. Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: Ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore eius sudaria, et semicinctia, et recedebant ab eis languores (Act 19, 11 12).

Misericordia.

(Cf. Prodigus Filius. — Caritas Dei).

1. *Deus est misericors.* Misericordia Domini plena est terra (Ps 32, 5).

2. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: (Ps 102, 13. — Cf. Parentes n. 3. — Deus n. 76. sqq).

3. Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. Recordatus est quoniam pulvis sumus (Ps 102, 14).

4. Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio (Ps 129, 7).

5. Superexaltat autem misericordia iudicium (Iac 2, 13).

6. *Erga omnes.* Suavis Dominus universis: et miserationes eius super omnia opera eius (Ps 144, 9).

7. Dominus illuminat caecos. Dominus erigit elisos, Dominus diligit iustos (Ps 145, 8).

8. Sed misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam (Sap 11, 24).

9. Diligis enim omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti (Sap 11, 25).

10. Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt Domine, qui amas animas (Sap 11, 27).

11. Miseratio hominis circa proximum suum: misericordia autem Dei super omnem carnem (Eccli 18, 12).

12. Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui (Is 49, 15).

13. *Erga peccatores.* (Cf. Conversio). Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in coelis est, ut pereat unus de pusillis istis (Mt 18, 14).

14. Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam, quae perierat, donec inveniat eam (Lc 15, 4)?

15. Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudiens (Lc 15, 5):

16. Et veniens domum convocat amicos, et vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi quia inveni ovem meam, quae perierat (Lc 15, 6).

17. Dico vobis quod ita gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis qui non indigent poenitentia (Lc 15, 7).

18. Aut quae mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quaerit diligenter, donec inveniat (Lc 15, 8)?

19. Et cum invenerit, convocat amicas, et vicinas, dicens: Congratulamini mihi quia inveni drachmam, quam perdideram (Lc 15, 9).

20. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente (Lc 15, 10).

21. *Exercet misericordiam variis modis.* Cum magna reverentia disponis nos: subest enim tibi, cum volueris, posse (Sap 12, 18).

22. Misericordiae Domini quia non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes eius (Thr 3, 22).

23. *Parcendo.* (Cf. Iesus Christus n. 50 sqq usque ad n. 86. — Passio n. 112 sqq). Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis (Ez 33, 11).

24. (*Ad Ionam*) Dixit Dominus: Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret: quae sub una nocte nata est, et sub una nocte periit (Ion 4, 10).

25. Et ego non parcam Ninive civitati magnae, in qua sunt plus quam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram suam, et iumenta multa (Ion 4, 11)?

26. Dixit Dominus ad eum (*Abraham*): Si invenero Sodomis quinquaginta iustos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos (Gn 18, 26).

27. *Praeservando a peccatis.* Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam

eam maceria, et semitas suas non inveniet (Os 2, 6).

28. Et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos: et quaeret eos, et non inveniet, et dicet: Vadam, et revertar ad virum meum priorem: quia bene mihi erat tunc magis quam nunc (Os 2, 7).

Misericordia hominis.

1. Si autem sciretis quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium: nunquam condemnassetis innocentes (Mt 12, 7. — Cf. Beatitudines n. 7).

2. Estote ergo misericordes sicut et Pater vester misericors est (Lc 6, 36).

3. Iudicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam (Iac 2, 13. — Cf. Indulgentia — Eleemosyna).

Missa.

(Cf. Eucharistia).

1. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestra (Mal 1, 10).

2. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda (Mal 1, 11).

3. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt (Hebr 13, 10).

Missionarius.

(Cf. Sacerdos n. 41 sqq).

1. *A Deo missus.* Mittam ex eis, qui salvati fuerint.... ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam (Is 66, 19). Ite angeli veloces... ad gentem exspectantem et conculcatam (Is 18, 2).

2. Euntes in mundum universum praedicate

Evangelium omni creaturae (Mc 16, 15).

3. *Ad exemplar Christi et Apostolorum.* Circuibat Iesus omnes civitates, et castella, et docens in synagogis eorum, et praedicans evangelium regni, et curans omnem languorem, et omnem infirmitatem (Mt 9, 35).

4. Omni autem die non cessabant in templo, et circa domos docentes, et evangelizantes Christum Iesum (Act 5, 42).

5. Et erat manus Domini cum eis: multusque numerus credentium conversus est ad Dominum (Act 11, 21).

6. *Eius gloria.* Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem: annuntiantis bonum, praedicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus (Is 52, 7)!

7. Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini (Is 61, 6).

8. *Officia.* Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem (Is 61, 1. — Cf. Concionator n. 5 — Praedicatio.

9. Ut praedicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro: ut consolarer omnes lugentes (Is 61, 2).

10. *Virtutes.* Navigaverunt Antiochiam, unde erant traditi gratiae Dei in opus, quod compleverunt (Act 14, 25).

11. Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis caedimur, et instabiles sumus (1 Cor 4, 11),

12. Et laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, et benedicimus: persecutionem patimur et sustinemus (1 Cor 4, 12):

13. Blasphemamur, et obsecramus: tamquam purgamenta hui-

us mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc (1 Cor 4, 13).

14. Non ut confundam vos, haec scribo, sed ut filios meos carissimos moneo (1 Cor 4, 14).

15. Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo: sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui (1 Cor 4, 15).

16. Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi (1 Cor 4, 16).

17. A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit maiores natu Ecclesiae (Act 20, 17).

18. Qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis : Vos scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim (Act 20, 18),

19. Serviens Domino cum omni humilitate, et lacrymis, et tentationibus, quae mihi acciderunt ex insidiis Iudaeorum (Act 20, 19):

20. Quomodo nihil subtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, et docerem vos publice, et per domos (Act 20, 20),

21. Testificans Iudaeis, atque Gentilibus in Deum poenitentiam, et fidem in Dominum nostrum Iesum Christum (Act 20, 21).

22. Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Ierusalem, quae in ea ventura sint mihi, ignorans (Act 20, 22):

23. Nisi quod Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens : quoniam vincula, et tribulationes Ierosolymis me manent (Act 20, 23).

24. Sed nihil horum vereor : nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi a Domino Iesu, testificari Evangelium gratiae Dei (Act 20, 24).

25. Et nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi praedicans regnum Dei (Act 20, 25).

26. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium (Act 20, 26).

27. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis (Act 20, 27).

28. Et nunc commendo vos Deo, et verbo gratiae ipsius, qui potens est aedificare, et dare haereditatem in santificatis omnibus (Act 20, 32).

29. Argentum, et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis (Act 20, 33 34. — Cf. Labor n. 33 sqq).

30. Et cum haec dixisset, positis genibus suis oravit cum omnibus illis (Act 20, 36).

31. Magnus autem fletus factus est omnium : et procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum (Act 20, 37),

32. Dolentes maxime in verbo, quod dixerat, quoniam amplius faciem eius non essent visuri (Act 20, 38).

Missiones.

(Cf. Exercitia spiritualia. — Visitationes. — Iesus Christus n. 21-170. — Memoriale. — Praedicatio n. 1 sqq).

1. Si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos (Mt 10, 13).

2. Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros : exeuntes foras de domo vel civitati, excutite pulverem de pedibus vestris (Mt 10, 14).

3. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terrae Sodomorum, et Gomorrhaeorum in die iudicii, quam illi civitate (Mt 10, 15. — Cf. Gratia n. 40 sqq).

Modestia.

(Cf. Mulier).

1. Obsecro vos per mansuetudinem, et modestiam Christi (2 Cor 10, 1).

2. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus prope est (Phil 4, 5).

3. Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus (Eccli 19, 26).

4. Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo (Eccli 19, 27. — Cf. Risus).

5. Omni homini noli intendere in specie (Eccli 42, 12).

6. Ascendit mors per fenestras nostras (Ir 9, 21).

7. Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius (Eccli 9, 5. — Cf. Vigilantia n. 12).

8. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius (Eccli 9, 7).

9. Propter speciem mulieris multi perierunt: et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit (Eccli 9, 9).

10. Mulieres in habitu ornato, cum verecundia, et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa (1 Tim 2, 9):

11. Sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona (1 Tim 2, 10).

12. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus (1 Petr 3, 3):

13. Sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptilitate quieti, et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples (1 Petr 3, 4).

14. Sic enim aliquando et sanctae mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subiectae propriis viris (1 Petr 3, 5).

Mors.

(Cf. Vita).

1. *In morte quaedam certa: Mors ipsa.* Pulvis es, et in pulverem reverteris (Gn 3, 19).

2. Revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum (Eccle 12, 7).

3. Omnes morimur, et quasi aquae dilabimur in terram, quae non revertuntur (2 Reg 14, 14).

4. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum (Sap 2, 24).

5. Testamentum enim huius mundi morte morietur (Eccli 14, 12).

6. Dispone domui tuae, quia morieris tu, et non vives (Is 38, 1).

7. Quotidie morior (1, Cor 15, 31). Mihi heri, et tibi hodie (Eccli 38, 23).

8. Ecce equus pallidus: et qui sedebat super eum, nomen illi Mors, et infernus sequebatur eum, et data est illi potestas super quatuor partes terrae, interficere gladio, fame, et morte, et bestiis terrae (Apc 6, 8).

9. Mitte falcem tuam, et mete quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terrae (Apc 14, 15).

10. De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris (4 Reg 1, 4).

11. Nemo est qui semper vivat, et qui huius rei habeat fiduciam (Eccle 9, 4).

12. Ibit homo in domum aeternitatis suae, et circuibunt in platea plangentes (Eccle 12, 5).

13. *Omnium spoliatio.* Siccine separat amara mors (1 Reg 15, 32)?

14. Nudus egressus sum de utero matris meae, et nudus revertar illuc (Ib 1, 21).

15. Divitias, quas devoravit, evomet (Ib 20, 15).

16. Et solum mihi superest sepulcrum (Ib 17, 1).

17. Periit memoria eorum cum sonitu (Ps 9, 7).

18. Et sepulcra eorum domus illorum in aeternum (Ps 48, 12).

19. Dormierunt somnum suum: et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis (Ps 75, 6.)

20. *Semel mori.* Putasne mortuus homo rursum vivat (Ib 14, 14)?

21. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium (Hebr 9, 27).

22. *Cito mori.* Memor esto quoniam mors non tardat (Eccli 14, 12).

23. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur (Mt 3, 10. — Cf. Iudicium generale n. 39 sqq).

24. Stipendia enim peccati, mors (Rom 6, 23).

25. Stimulus autem mortis peccatum est (1 Cor 15, 56).

26. Quoniam Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum. Creavit enim, ut essent omnia (Sap 1, 13 14).

27. *Putredo.* Quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum, quod comeditur a tinea (Ib 13, 28).

28. Iste moritur robustus et sanus, dives et felix (Ib 21, 23).

29. Alius vero moritur in amaritudine animae absque ullis opibus (Ib 21, 25):

30. Et tamen simul in pulvere dormient, et vermes operient eos (Ib 21, 26).

31. Lignum habet spem: si praecisum fuerit, rursum virescit, et rami eius pullulant (Ib 14, 7).

32. Homo vero cum mortuus fuerit, et nudatus atque consumptus, ubi quaeso est (Ib 14, 10)?

33. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum: subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes (Is 14, 11).

34. Haeccine est illa Iezabel (4 Reg 9, 37)?

35. Cum enim morietur homo, haereditabit serpentes, et bestias, et vermes (Eccli 10, 13).

36. *Mortis memoria.* Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent (Dt 32, 29).

37. O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis (Eccli 41, 1).

38. *Quaedam incerta: hora.* Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet (1 Thess 5, 2).

39. Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit (Eccle 9, 12. — Cf. Iudicium generale n. 25 sqq).

40. *Sed ordinarie vitæ similis est mors.* Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit (Eccle 11, 3).

41. *Mors mali.* Virum iniustum mala capient in interitu (Ps 139, 12). Mors peccatorum pessima (Ps 33, 22. — Cf. Mali n. 32).

42. Numquid Deus audiet clamorem eius cum venerit super eum angustia (Ib 27, 9)?

43. *Mors iusti.* Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suae benedicetur (Eccli 1, 13).

44. Iustus autem si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit (Sap 4, 7. — Cf. Iustus n. 9 sqq).

45. Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum (Phil 1, 21).

46. Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius (Phil 1, 23).

Bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum (2 Cor 5, 8).

47. Bonum certamen certavi, cursum consumavi, fidem servavi (2 Tim 4, 7).

48. In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum eius (2 Tim 4, 8).

49. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos (Apc 14, 13. — Cf. Panegyrica n. 1 2).

50. Moriatur anima mea morte iustorum, et fiant novissima mea horum similia (Nm 23, 10).

51. Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius (Ps 115, 15).

52. Non moriar, sed vivam: et narrabo opera Domini (Ps 117, 17).

53. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui sitit, veniat: et qui vult, accipiat aquam vitae, gratis (Apc 22, 17).

Mortificatio.

(Cf. Abnegatio).

1. *Necessitas.* A diebus autem Ioannis Baptistae usque nunc, regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud (Mt 11, 12).

2. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt (Rom 8, 8).

3. Fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus (Rom 8, 12).

4. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis (Rom 8, 13).

5. Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris (2 Cor 4, 10).

6. Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi (Phil 3, 18):

7. Quorum finis interitus: quorum Deus venter est: et gloria in confusione ipsorum, qui terena sapiunt (Phil 3, 19. — Cf. Temperantia. — Domini n. 2. — Electi n. 1).

8. Mortificate ergo membra vestra, quae sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quae est simulacrorum servitus (Col 3, 5).

9. *Utilitas.* Sapientia vero ubi invenitur? et quis est locus intelligentiae (Ib 28, 12)?

10. Nescit homo pretium eius, nec invenitur in terra suaviter viventium (Ib 28, 13).

11. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit (Io 12, 24),

12. Ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam (Io 12, 25).

13. *Exempla.* Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Improperia improperantium tibi ceciderunt super me (Rom 15, 3).

14. Desideravit..... David, et ait: O si quis mihi daret potum aquae de cisterna, quae est in Bethlehem iuxta portam (2 Reg 23, 15)!

15. Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, et hauserunt aquam..... at ille noluit bibere. (2 Reg 23, 16).

16. Dicens: .. num...

animarum periculum bibam (2 Reg 23, 17)?

17. Castigo corpus meum, et in servitutem redigo: ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar (1 Cor 9, 27).

18. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis (Gal 5, 24. — Cf. Fides n. 41 sqq).

19. Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem: rationabile obsequium vestrum (Rom 12, 1).

20. Sicut in die honeste ambulemus: non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus, et impudicitiis, non in contentione, et aemulatione (Rom 13, 13).

21. Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis (Col 3, 9),

22. Et induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creavit illum (Col 3, 10).

Mulier.

(Cf. Modestia. — Uxores. — Mater).

1. *Bona*. Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi (Gn 2, 18. — Cf. Matrimonium n. 2).

2. Sapiens mulier aedificat domum suam: insipiens extructam quoque manibus destruet (Pro 14, 1).

3. Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum: et hauriet iucunditatem a Domino (Pro 18, 22).

4. Mulieris bonae beatus vir: numerus enim annorum illius duplex (Eccli 26, 1).

5. Mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitae illius in pace implebit (Eccli 26, 2).

6. Gratia super gratiam mulier sancta, et pudorata (Eccli 26, 19).

7. Omnis viri caput, Christus est, caput autem mulieris, vir: caput vero Christi, Deus (1 Cor 11, 3).

8. Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit (1 Cor 14, 34).

9. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia (1 Cor 14, 35).

10. Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino (Eph 5, 22):

11. Quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiae: Ipse, salvator corporis eius (Eph 5, 23).

12. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus (Eph 5, 24).

13. Ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant — Prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas...... (Tit 2, 4 5).

14. Similiter et mulieres subditae sint viris suis: ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant (1 Petr 3, 1).

15. Adam enim primus formatus est: deinde Heva (1 Tim 2, 13):

16. Et Adam non est seductus: mulier autem seducta in praevaricatione fuit (1 Tim 2, 14).

17. Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium eius (Pro 31, 10).

18. Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit (Pro 31, 11).

19. Reddet ei bonum, et non malum, omnibus diebus vitae suae (Pro 31, 12).

20. Quaesivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum (Pro 31, 13).

21. Facta est quasi

navis institoris, de longe portans panem suum (Pro 31, 14).

22. Et de nocte surrexit, deditque praedam domesticis suis, et cibaria ancillis suis (Pro 31, 15).

23. Consideravit agrum, et emit eum: de fructu manuum suarum plantavit vineam (Pro 31, 16).

24. Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum (Pro 31, 17).

25. Gustavit, et vidit quia bona est negotiatio eius: non extinguetur in nocte lucerna eius (Pro 31, 18).

26. Manum suam misit ad fortia, et digiti eius apprehenderunt fusum (Pro 31, 19).

27. Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem (Pro 31, 20).

28. Non timebit domui suae a frigoribus nivis: omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus (Pro 31, 21).

29. Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananaeo (Pro 31, 24).

30. Fortitudo et decor indumentum eius, et ridebit in die novissimo (Pro 31, 25).

31. Os suum aperuit sapientiae, et lex clementiae in lingua eius (Pro 31, 26).

32. Consideravit semitas domus suae, et panem otiosa non comedit (Pro 31, 27).

33. Surrexerunt filii eius et beatissimam praedicaverunt: vir eius, et laudavit eam (Pro 31, 28).

34. Mulier timens Dominum ipsa laudabitur. Et laudent eam in portis opera eius (Pro 31, 30 31. — Cf. Matrimonium n. 6).

35. *Mala*. Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua (Pro 11, 22).

36. Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa et iracunda (Pro 21, 19).

37. Non est ira super iram mulieris. Commorari leoni et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam (Eccli 25, 23).

38. Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto (Eccli 25, 27).

39. A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur (Eccli 25, 33. — Cf. Luxuria n. 21).

40. Non des aquae tuae exitum, nec modicum: nec mulieri nequam veniam prodeundi (Eccli 25, 34).

41. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, et in palpebris illius agnoscetur (Eccli 26, 12).

42. Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, praeparata ad capiendas animas: garrula et vaga (Pro 7, 10. — Cf. Luxuria — Occasio).

43. Inveni amariorem morte mulierem, quae laqueus venatorum est, et sagena cor eius, vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam (Eccle 7, 27).

44. Longe fac ab ea viam tuam, et ne appropinques foribus domus eius (Pro 5, 8). Viae inferi domus eius, penetrantes in interiora mortis (Pro 7, 27).

Multiloquium.

(Cf. Silentium — Discretio).

1. Noli citatus esse in lingua tua: et inutilis, et remissus in operibus tuis (Eccli 4, 34).

2. Terribilis est in civitate sua homo linguosus: et temerarius in verbo suo odibilis erit (Eccli 9, 25).

3. Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum (Pro 25, 28).

4. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem (Mt 15, 11).

Mundus.

1. *Perversus.* Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus: quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum (Ps 11, 2. — Cf. Impius n. 4).

2. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (Ps 13, 3).

3. Deus de coelo prospexit super filios hominum: ut videat si est intelligens, aut requirens Deum (Ps 52, 3).

4. Vidi sub sole in loco iudicii impietatem, et in loco iustitiae iniquitatem (Eccle 3, 16).

5. Et laudavi magis mortuos, quam viventes (Eccle 4, 2).

6. Non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra (Os 4, 1).

7. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit (Os 4, 2).

8. Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est (Mich 7, 2).

9. Cui autem similem aestimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro: qui clamantes coaequalibus (Mt 11, 16)

10. Dicunt: Cecinimus vobis, et non saltastis: lamentavimus, et non planxistis (Mt 11, 17).

11. Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens, et dicunt: Daemonium habet (Mt 11, 18).

12. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt: Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum, et peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia a filiis suis (Mt 11, 19).

13. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra (Lc 18, 8)?

14. Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa (2 Tim 3, 1):

15. Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti (2 Tim 3, 2),

16. Sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate (2 Tim 3, 3),

17. Proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis quam Dei (2 Tim 3, 4):

18. Semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes (2 Tim 3, 7).

19. Mundus totus in maligno positus est (1 Io 5, 19).

20. *Voluptates eius fallaces.* Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi laetitia (Eccle 7, 5).

21. Suis spatiis transeunt universa sub coelo (Eccle 3, 1).

22. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiae transvertit sensum sine malitia (Sap 4, 12).

23. Convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum: et inducam super omne dorsum vestrum saccum (Am 8, 10).

24. *Ergo vitandus.* Nolite diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo: Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae. Et mundus transit, et concupiscentia eius (1 Io 2, 15 16 17).

25. Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium (Ps 4, 3)?

26. Fugite de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam (Ir 51, 6. — Cf. Iuvenes n. 8 — Sacerdos n. 33).

27. Cavete a fermento Pharisaeorum, et Sadducaeorum (Mt 16, 11).

28. Vade post me satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea, quae Dei sunt, sed ea, quae hominum (Mt 16, 23).

29. Non potest mundus odisse vos: me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo quod opera eius mala sunt (Io 7, 7).

30. Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo (Io 8, 23).

31. Ego pro eis rogo: Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt (Io 17, 9).

32. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo (Io 17, 15).

33. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo (Io 17, 16).

34. Et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri (Rom 12, 2).

35. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis (1 Cor 2, 12).

36. Animalis autem homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, et non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur (1 Cor 2, 14).

37. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras (2 Cor 6, 14)?

38. Quae autem conventio Christi ad Belial? Aut quae pars fideli cum infideli (2 Cor 6, 15)?

39. Adulteri nescitis quia amicitia huius mundi, inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse saeculi huius, inimicus Dei constituitur (Iac 4, 4. — Cf. Abnegatio n. 11 12 13).

Munera.

1. Non accipies personam, nec munera: quia munera excaecant oculos sapientum, et mutant verba iustorum (Dt 16, 19).

2. Daniel, ait coram rege: *Munera tua sint tibi, et dona domus tuae alteri da* (Dan 5, 17).

Murmuratio.

(Cf. Superiores n. 10).

1. Custodite ergo vos a murmuratione, quae nihil prodest (Sap 1, 11).

2. Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur: et qui cum eo manserit, odiosus erit: tacitus et sensatus honorabitur (Eccli 21, 31. — Cf. Detractio n. 7 8).

3. Hi sunt murmuratores quaerulosi, secundum desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superba, mirantes personas quaestus causa (Iu 16).

Musica.

Vinum et musica laetificant cor: et super utraque dilectio sapientiae. (Eccli 40, 20).

Mysteria.

1. Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria (Pro 25, 27).

2. Cunctae res difficiles: non potest eas homo explicare sermone (Eccle 1, 8).

3. Et difficile aestimamus quae in terra sunt: et quae in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quae autem in coelis sunt quis investigabit? (Sap 9, 16. — Cf. Praesumptio n. 2).

4. Maior est Deus corde nostro, et novit omnia (1 Io 3, 20).

N

Nativitas Christi, Mariae.

(Cf. Iesus Christus n. 18 sqq. — Maria n. 8).

Negotiatio.

Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum (1 Thess 4, 6. — Cf. Furtum n. 6).

Nomen Dei.

(Cf. Deus n. 11 sqq. — Blasphemia).

Nomen Iesu.

1. Pariet autem filium: et vocabis nomen eius IESUM: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (Mt 1, 21).

2. Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer: vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur (Lc 2, 21).

3. Ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium, et infernorum (Phil 2, 10),

4. Et omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris (Phil 2, 11).

Nuptiae.

(Cf. Matrimonium).

1. Conversae sunt nuptiae in luctum, et vox musicorum ipsorum in lamentum (1 Mach 9, 41. *Quod saepe accidit*).

2. Cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant (Tob 9, 12).

3. Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae: et erat Mater Iesu ibi. Vocatus est autem et Iesus, et discipuli eius ad nuptias (Io 2, 1 2).



O

Obedientia.

(Cf. Inferiores. — Superiores).

1. Ait Samuel: Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? MELIOR est enim obedientia quam victimae: et auscultare magis quam offerre adipem arietum (1 Reg 15, 22).

2. Quasi peccatum ariolandi est, repugnare: et quasi scelus idolatriae, nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex (1 Reg 15, 23).

3. Quare ieiunavimus, et non aspexisti: humiliavimus animas nostras, et nescisti? Ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis (Is 58, 3).

4. Vir obediens loquetur victoriam (Pro 21, 28).

5. Filii sapientiae, ecclesia iustorum: et natio illorum, obedientia et dilectio (Eccli 3, 1).

6. Mens iusti meditatur obedientiam (Pro 15, 28).

Animas vestras castificantes in obedientia caritatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius (1 Petr 1, 22).

7. BENEDICENTUR in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae (Gn 22, 18).

8. *(Samuel)* ait: Ecce ego: quia vocasti me... Loquere Domine, quia audit servus tuus

(1 Reg 3, 9. — Cf. Mortificatio n. 14 sqq. — Eucharistia n. 50. — *Ionas declinans iussa Domini, fugiebat Tharsim et oritur tempestas et Ionas in mare proiectus a pisce deglutitur*).

9. (Cf. Fuga in Aegyptum). Venit Nazareth: et erat subditus illis (Lc 2, 51).

10. Subiecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum: .... regi quasi praecellenti (1 Petr 2, 13).

Obsequium Dei.

(Cf. Deus n. 89 sqq).

Obstinatio.

Qui.... mentis est durae, corruet in malum (Pro 28, 14. — Cf. Passio n. 134. — Cor).

Occasio peccati.

(Cf. Deus n. 95. — Mulier. — Luxuria. — Adulatio. — Vigilantia).

1. Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis (Pro 1, 10).

2. Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum (Pro 1, 15).

3. Pedes enim illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem (Pro 1, 16).

4. Qui amat periculum, in illo peribit (Eccli 3, 27. — Cf. Curiositas n. 2).

5. Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te (Pro 4, 24).

6. Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant (Pro 6, 27)?

7. Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantae eius (Pro 6, 28)?

8. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea (Eccli 13, 1).

9. In medio mulierum noli commorari (Eccli 42, 12):

10. De vestimentis

enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri (Eccli 42, 13).

11. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit (1 Cor 5, 6)?

12. Scripsi vobis in epistola: Ne commisceamini fornicariis (1 Cor 5, 9). Auferte malum ex vobis ipsis (1 Cor 5, 13).

13. Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis (2 Thess 3, 6).

14. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis (2 Io 10).

15. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te: abscide eum, et proiice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum (Mt 18, 8).

16. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et proiice abs te: bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in in gehennam ignis (Mt 18, 9. — Cf. Anima n. 5).

17. Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem (Ps 6, 9).

18. Molliti sunt sermones eius super oleum: et ipsi sunt iacula (Ps 54, 22).

19. Iniquos odio habui: et legem tuam dilexi (Ps 118, 113).

20. Nonne qui oderunt te Domine, oderam: et super inimicos tuos tabescebam (Ps 138, 21)?

Odium.

(Cf. Ira. — Caritas n. 57 sqq).

1. Odium suscitat rixas (Pro 10, 12).

2. *(Odium in I.-C.)* Qui me odit, et Patrem meum odit (Io 15, 23).

Oeconomia.

(Cf. Temperantia. — Ebrietas. — Labor).

1. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis (2 Cor 12, 14. — Cf. Mulier n. 20 sqq).

2. Novit iustus iumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia (Pro 12, 10).

3. Substantia festinata minuetur: quae autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur (Pro 13, 11).

4. Ubi manus multae sunt, claude, et quodcumque trades, numera, et appende: datum vero, et acceptum omne describe (Eccli 42, 7).

Opera bona.

(Cf. Actiones. — Merita. — Caritas n. 26. — Vocatio n. 9 17).

1. Scienti igitur bonum facere, et non facienti, peccatum est illi (Iac 4, 17).

2. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli (Io 15, 8. — Cf. Verbum Dei n. 43. — Fides n. 56 sqq).

3. Bona est oratio cum ieiunio, et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere (Tob 12, 8).

4. Quando orabas cum lacrimis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino (Tob 12, 12. — Cf. Oratio n. 73. — Zelus n. 10 11).

5. Orationes tuae, et eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei (Act 10, 4).

6. Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc aurum,

argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam (1 Cor 3, 12),

7. Uniuscuiusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit (1 Cor 3, 13).

8. Si cuius opus manserit quod superaedificavit, mercedem accipiet (1 Cor 3, 14).

9. Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur (Mt 15, 13. — Cf. Mors n. 23. — Tempus n. 7 sqq).

Opera Dei.

(Cf. Creatio.)

Opportunitas.

(Cf. Prudentia.)

Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt (1 Cor 10, 22).

Oratio.

1. *Necessitas.* Vigilate, et orate ut non intretis in tentationem (Mt 26, 41. — Cf. Salus n. 4).

2. Immola Deo sacrificium laudis: et redde Altissimo vota tua (Ps 49, 14).

3. Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi (Ps 142, 6).

4. Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te (2 Par 20, 12).

5. Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte (Ps 12, 4).

6. *Efficacia. (Iacob)* Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens coelum: Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam (Gn 28, 12. — Cf. Opera bona n. 4).

7. Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt: et qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius (Dt 33, 3).

8. In meditatione mea exardescet ignis (Ps 38, 4).

9. Petite, et dabitur vobis: quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis (Mt 7, 7).

10. Omnis enim, qui petit accipit: et qui quaerit, invenit: et pulsanti aperietur (Mt 7, 8).

11. Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei (Mt 7, 9)?

12. Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei (Mt 7, 10)?

13. Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester, qui in coelis est, dabit bona petentibus se (Mt 7, 11)?

14. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo: Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum (Io 16, 24).

15. Non enim est distinctio Iudaei, et Graeci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum (Rom 10, 12).

16. Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit (Rom 10, 13).

17. Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat: et dabitur ei (Iac 1, 5).

18. Elias homo erat similis nobis passibilis: et oratione oravit ut non plueret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex (Iac 5, 17).

19. Et rursum oravit: et coelum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum (Iac 5, 18).

20. Unus orans, et unus maledicens: cuius vocem exaudiet Deus (Eccli 34, 29)?

21. *Consolationes.* Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim

tua dulcis, et facies tua decora (Cant 2, 14).

22. Non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius, sed laetitiam et gaudium (Sap 8, 16).

23. *Praeparatio.* Ante orationem praepara animam tuam: et noli esse quasi homo qui tentat Deum (Eccli 18, 23).

24. *Quomodo orandum? In corde.* Domine, ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus (Ps 37, 10. — Cf. Cantus).

25. Ego dormio, et cor meum vigilat (Cant 5, 2).

26. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in coelos (Thr 3, 41).

27. Et factum est: cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare, sicut docuit et Ioannes discipulos suos (Lc 11, 1).

28. Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici; putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur (Mt 6, 7).

29. Nolite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum (Mt 6, 8).

30. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in coelis (Mt 6, 9).

31. *Duo vel tres.* Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est (Mt 18, 19).

32. Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum (Mt 18, 20).

33. Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira, et disceptatione (1 Tim 2, 8).

34. *Conditiones.* Petitis, et non accipitis: eo quod male petatis: ut in concupiscentiis

vestris insumatis (Iac 4, 3).

35. *Nullum peccatum.* Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus (Ps 65, 18).

36. Oratio eius fiat in peccatum (Ps 108, 7).

37. Peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis ne exaudiret (Is 59, 2).

38. *In nomine Christi.* Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio (Io 14, 13).

39. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam (Io 14, 14).

40. *Secundum voluntatem Dei.* Haec est fiducia, quam habemus ad eum: Quia quodcumque petierimus: secundum voluntatem eius, audit nos (1 Io 5, 14).

41. *Humilitas.* Oratio humiliantis se, nubes penetrabit: et donec propinquet non consolabitur: et non discedet donec Altissimus aspiciat (Eccli 35, 21. — Cf. Humilitas n. 17 sqq. — Eucharistia n. 49).

42. *Fiducia.* (Cf. Fiducia n. 22). Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum (Ex 33, 11).

43. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate (Ps 144, 18).

44. Omnia quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis (Mt 21, 22).

45. Potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus (Eph 3, 20).

46. Postulet autem in fide nihil haesitans: qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur (Iac 1, 6).

47. Non ergo aestimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino (Iac 1, 7).

48. *Perseverantia.* Deus Deus meus ad te

de luce vigilo, sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea (Ps 62, 2).

49. Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te (Ps 62, 7).

50. Quaerite Dominum, et confirmamini: quaerite faciem eius semper (Ps 104, 4).

51. Septies in die laudem dixi tibi, super iudicia iustitiae tuae (Ps 118, 164).

52. In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum (Ps 133, 2).

53. Melior est finis orationis, quam principium (Eccle 7, 9).

54. Non impediaris orare semper (Eccli 18, 22).

55. Mulier Chananaea a finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei Domine fili David: filia mea male a daemonio vexatur (Mt 15, 22).

56. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus (Mt 15, 26).

57. At illa dixit: Etiam Domine: nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum (Mt 15, 27).

58. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora (Mt 15, 28).

59. Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei (Lc 6, 12).

60. *(Iesus)* ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes (Lc 11, 5),

61. Quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum (Lc 11, 6),

62. Et ille deintus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum

est, et pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere, et dare tibi (Lc 11, 7).

63. Et si ille perseveraverit pulsans: dico vobis, et si non dabit illi surgens eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, et dabit illi quotquot habet necessarios (Lc 11, 8).

64. Oportet semper orare et non deficere (Lc 18, 1).

65. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Iesu, et fratribus eius (Act 1, 14).

66. Sine intermissione memoriam vestri facio (Rom 1, 9)

67. Semper in orationibus meis: obsecrans, si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos (Rom 1, 10).

68. Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione (Col 4, 2).

69. Sine intermissione orate (1 Thess 5, 17).

70. Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec (Ex 17, 11).

71. *Spiritus orationis.* Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (Rom 8, 26).

72. Videbar quidem vobiscum manducare, et bibere: sed ego cibo invisibili, et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor (Tob 12, 19. — Cf. Unio cum Deo n. 2 sqq — Deus n. 109).

73. *Poenitentia.* Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiuniis, et orationibus in conspectu Domini (Idt 4, 12).

74. *(Iesus)* in diebus carnis suae preces, supplicationesque ad

eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lacrimis offerens, exauditus est pro sua reverentia (Hebr 5, 7).

75. *Pro quibus orandum? Pro vivis.* Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus (1 Tim 2, 1):

76. Pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam, et tranquillam vitam agamus in omni pietate, et castitate (1 Tim 2, 2).

77. Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo (1 Tim 2, 3. — Cf. Zelus n. 7 8 et 44).

78. Orate pro invicem ut salvemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua (Iac 5, 16).

Pro defunctis. — Cf. Purgatorium n. 3 sqq).

79. *Quando orandum? In calamitatibus. (Daniel)* fenestris apertis in coenaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat (Dan 6, 10. — Cf. Iesus Christus n. 105 sqq).

80. Exsurgat Deus, et dissipentur inimici eius, et fugiant qui oderunt eum, a facie eius (Ps 67, 2).

81. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei (Ps 67, 3).

82. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem (Ps 73, 19).

83. Exsurge Deus, iudica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum, eorum quae ab insipiente sunt tota die (Ps 73, 22. — Cf. Contritio n. 12 13 — Calamitates n. 6).

84. Neque aggravata est auris eius ut non exaudiat (Is 59, 1).

Ordo.

Omnia autem honeste, et secundum ordinem fiant (1 Cor 14, 40. — *Sacramentum Ordinis* (Cf. Sacerdos).

Orphani.

(Cf. Mater n. 1 — Fiducia n. 39 — Eucharistia n. 14).

Otiositas.

(Cf. Acedia — Labor).

1. *Pigritia.* Multam enim malitiam docuit otiositas (Eccli 33, 29).

2. Ecce haec fuit iniquitas Sodomae sororis tuae, superbia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius, et filiarum eius: et manum egeno, et pauperi non porrigebant (Ez 16, 49).

3. Tempore quo solent reges ad bella procedere... David autem remansit in Ierusalem... Accidit ut surgeret... de strato suo post meridiem.... viditque mulierem (1 Reg 2, 1 2. — *Hinc adulterium et homicidium* — Cf. Salus n. 9).



P

Panegyrica oratio.

(Cf. Sancti n. 1 sqq).

1. Fleverunt eum *(Iudam)* omnis p o p u l u s Israel planctu magno, et lugebant dies multos (1 Mach 9, 20),

2. Et dixerunt: Quomodo cecidit p o t e n s, qui salvum faciebat populum Israel (1 Mach 9, 21)!

3. Mirabilis Deus in sanctis suis (Ps 67, 36).

4. Laudate Dominum in sanctis eius (Ps 150, 1. — Cf. Martyres).

Parentes.

(Cf. Filii).

1. *Amor*. Et ait: Sufficit mihi si adhuc Ioseph filius meus vivit: vadam, et videbo illum antequam moriar (Gn 45, 28).

2. Dixitque pater ad Ioseph: iam laetus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo (Gn 46, 30).

3. Fili mi Absalom, Absalom fili mi: quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom (2 Reg 18, 33)?

4. Anna autem sedebat secus viam, quotidie in supercilio montis, unde respicere poterat de longinquo (Tob 11, 5).

5. Dicebat: Heu heu me fili mi, ut quid te m i s i m u s peregrinari, lumen o c u l o r u m nostrorum, baculum senectutis nostrae... spem p o s t e r i t a t i s nostrae (Tob 10, 4)?

6. Flebat igitur mater eius irremediabilibus lacrimis (Tob 10, 4).

7. Illa autem nullo modo consolari poterat, sed quotidie exsiliens circumspiciebat, et circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, ut procul videret eum, si fieri posset, venientem (Tob 10, 7).

8. *Cura corporalis*. (Cf. Mater n. 1 sqq). Filio et mulieri, fratri et amico non des potestatem super te in vita tua: et non dederis alii possessionem tuam: ne forte poeniteat te, et depreceris pro illis (Eccli 33, 20).

9. Melius est enim ut filii tui te r o g e n t, q u a m te respicere in manus filiorum tuorum (Eccli 33, 22).

10. *Cura spiritualis*. Et inimici hominis, domestici eius (Mt 10, 36).

11. Maiorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare (3 Io 4).

12. *Eruditio et educatio*. Filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia illorum (Eccli 7, 25).

13. Et utile est mori sine filiis quam relinquere filios impios (Eccli 16, 4. — Cf. Passio n. 126).

14. Tu autem Salomon fili mi, scito Deum patris tui, et servito ei corde perfecto, et animo voluntario: omnia enim corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit. Si quaesieris eum, invenies: si autem dereliqueris eum, proiiciet te in aeternum (1 Par 28, 9).

15. *(Filium)* Quem ab infantia timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato (Tob 1, 10).

16. Omnibus autem diebus vitae tuae in mente habeto Deum: et cave ne aliquando peccato consentias, et praetermittas praecepta Domini Dei nostri (Tob 4, 6).

17. Erudi filium tuum, et refrigerabit te, et dabit delicias animae tuae (Pro 29, 17).

18. *Vigilantia*. (Cf. Vigilantia). Dixit ad e-

um Israel: Fratres tui pascunt oves in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo respondente (Gn 37, 13),

19. Praesto sum, ait ei: Vade, et vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, et pecora: et renuntia mihi quid agatur (Gn 37, 14).

20. Filiae tibi sunt? serva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas (Eccli 7, 26).

21. Trade filiam, et grande opus feceris, et homini sensato da illam (Eccli 7, 27).

22. Et a filiis tuis cave, et a domesticis tuis attende (Eccli 32, 26).

23. *Correctio.* Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinae fugabit eam (Pro 22, 15. — Cf. Correctio n. 6).

24. Tu virga percuties eum: et animam eius de inferno liberabis (Pro 23, 14).

25. Lacta filium, et paventem te faciet: lude cum eo, et contristabit te (Eccli 30, 9).

26. Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed educate illos in disciplina, et correptione Domini (Eph 6, 4). Ut non pusillo animo fiant (Col 3, 21. — Cf. Domini n. 5).

27. *Exemplum.* Filii abominationum fiunt filii peccatorum, et qui conversantur secus domos impiorum (Eccli 41, 8. — Cf. Sacerdos n. 10).

28. *Oratio.* Consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei, et benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus (Ib 1, 5).

Pascha.

1. Haec est dies, quam fecit Dominus: exsultemus, et laetemur in ea (Ps 117, 24).

2. Solvite templum hoc, et in tribus diebus

excitabo illud (Io 2, 19).

3. Vespere autem sabbati, quae lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria videre sepulcrum (Mt 28, 1).

4. Et ecce terrae motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de coelo: et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum (Mt 28, 2):

5. Erat autem aspectus eius sicut fulgur: et vestimentum eius sicut nix (Mt 28, 3).

6. Prae timore autem eius exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui (Mt 28, 4).

7. Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim, quod Iesum, qui crucifixus est, quaeritis (Mt 28, 5):

8. Non est hic: surrexit enim, sicut dixit: venite, et videte locum, ubi positus erat Dominus (Mt 28, 6).

9. Et cito euntes, dicite discipulis eius quia surrexit: et ecce praecedit vos in Galilaeam: ibi eum videbitis: ecce praedixi vobis (Mt 28, 7).

10. Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent usque adhuc, quidem autem dormierunt (1 Cor 15, 6).

11. Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram (Rom 4, 25).

12. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria (1 Cor 15, 54).

Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus (1 Cor 15, 55)?

13. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus (Rom 6, 4).

14. Igitur si consur-

rexistis cum Christo: quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens (Col 3, 1):

15. Quae sursum sunt sapite, non quae super terram (Col 3, 2).

16. Scientes quod Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (Rom 6, 9).

Passio D. N. I. C.

1. *Passionis prophetia.* Ego autem sum vermis, et non homo: opprobrium hominum, et abiectio plebis (Ps 21, 7).

2. Foderunt manus meas et pedes meos (Ps 21, 17):

3. Dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me (Ps 21, 18):

4. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam, miserunt sortem (Ps 21, 19).

5. Et dederunt in escam meam fel: et in siti mea potaverunt me aceto (Ps 68, 22. — Cf. Eucharistia n. 34).

6. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas (Is 1, 6).

7. Angeli pacis amare flebunt (Is 33, 7).

8. Non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum (Is 53, 2):

9. Despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem: et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde nec reputavimus eum (Is 53, 3).

10. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum (Is 53, 4).

11. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super e-

um, et livore eius sanati sumus (Is 53, 5).

12. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum (Is 53, 6).

13. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum (Is 53, 7).

14. Et cum sceleratis reputatus est: et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit (Is 53, 12).

15. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis (Thr 3, 30).

16. Et effundam super domum David, et super habitatores Ierusalem spiritum gratiae, et precum: et aspicient ad me, quem confixerunt: et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti (Za 12, 10).

17. Et dicetur ei: Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me (Za 13, 6).

18. *Desiderium passionis.* Baptismo autem habeo baptizari: et quomodo coarctor usquedum perficiatur? (Lc 12, 50. — Cf. Iesus Christus n. 105 146 — Incarnatio n. 1 — Agonia).

19. *Proditio Iudae.* Dederat autem traditor eius signum eis, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, et ducite caute (Mc 14, 44).

20. Et cum venisset, statim accedens ad eum, ait: Ave Rabbi: et osculatus est eum (Mc 14, 45).

21. Dixitque illi Iesus: Amice, ad quid venisti (Mt 26, 50)?

22. Iuda, osculo fili-

um hominis tradis (Lc 22, 48)?

23. Iesus... dixit eis: Quem quaeritis (Io 18, 4)?

24. Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum (Io 18, 5).

25. Ut ergo dixit eis: Ego sum: abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram (Io 18, 6).

26. Si ergo me quaeritis, sinite hos abire (Io 18, 8).

27. Tunc accesserunt, et manus iniecerunt in Iesum, et tenuerunt eum (Mt 26, 50).

28. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum (Io 18, 10).

29. Dixit ergo Iesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam (Io 18, 11).

30. Omnes... qui acceperint gladium, gladio peribunt (Mt 26, 52).

31. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum (Io 18, 11)?

32. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum (Mt 26, 53)?

33. Tamquam ad latronem existis cum gladiis, et fustibus comprehendere me (Mt 26, 55).

34. Quotidie eram apud vos in templo docens, et non me tenuistis (Mc 14, 49).

35. Sed haec est hora vestra, et potestas tenebrarum (Lc 22, 53).

36. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt (Mt 26, 56).

37. Cohors ergo..... comprehenderunt Iesum, et ligaverunt eum (Io 18, 12):

38. Et adduxerunt eum ad Annam primum, erat enim socer Caïphae, qui erat pontifex anni illius (Io 18, 13).

39. Erat autem Caïphas, qui consilium dederat Iudaeis: Quia expedit, unum hominem mori pro populo (Io 18, 14).

40. Et misit eum Annas ligatum ad Caïpham pontificem (Io 18, 24).

41. Pontifex ergo interrogavit Iesum de discipulis suis, et de doctrina eius (Io 18, 19).

42. Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, et in templo, quo omnes Iudaei conveniunt: et in occulto locutus sum nihil (Io 18, 20).

43. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quae dixerim ego (Io 18, 21).

44. Haec autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes pontifici (Io 18, 22)?

45. Respondit ei Iesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me caedis (Io 18, 23)?

46. Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum: et convenientia testimonia non erant (Mc 14, 56).

47. Et exsurgens summus sacerdos in medium, interogavit Iesum, dicens: Non respondes quidquam ad ea, quae tibi obiiciuntur ab his (Mc 14, 60)?

48. Ille autem tacebat, et nihil respondit. Rursum summus sacerdos interrogabat eum, et dixit ei (Mc 14, 61):

49. Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei (Mt 26, 63).

50. Dicit illi Iesus: Tu dixisti: verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus coeli (Mt 26, 64).

51. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam (Mt 26, 65).

52. Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis (Mt 26, 66).

53. Et coeperunt quidam conspuere eum (Mc 14, 65).

54. Et velaverunt eum, et percutiebant faciem eius (Lc 22, 64).

55. Dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit (Mt 26, 68)?

56. Et alia multa blasphemantes dicebant in eum (Lc 22, 65).

57. Petrus vero sedebat foris in atrio (Mt 26, 69) calefaciens se (Io 18, 25).

58. Venit una ex ancillis summi sacerdotis (Mc 14, 66):

59. Et cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait: Et tu cum Iesu Nazareno eras (Mc 14, 67).

60. At ille negavit coram omnibus, dicens (Mt 26, 70): Mulier, non novi illum (Lc 22, 57).

61. Neque scio, neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit (Mc 14, 68).

62. Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, et ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno (Mt 26, 71).

63. Et iterum negavit cum iuramento (Mt 26, 72).

64. Accesserunt qui stabant, et dixerunt Petro: Vere et tu ex illis es (Mt 26, 73). Nam et Galilaeus es (Mc 14, 70). Et loquela tua manifestum te facit (Mt 26, 73).

65. Iterum ergo negavit Petrus (Io 18, 27).

66. Et continuo adhuc illo loquente cantavit gallus (Lc 22, 60).

67. Et conversus Dominus respexit Petrum (Lc 22, 61).

68. Et egressus foras, flevit amare (Mt 26, 75).

69. Et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis, et principes sacerdotum, et scribae, (Lc 22, 66) adversus Iesum, ut eum morti traderent (Mt 27, 1).

70. Adducunt ergo Iesum a Caïpha in praetorium..... Et ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha (Io 18, 28).

71. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc (Io 18, 29)?

72. Responderunt, et dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum (Io 18, 30).

73. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, et secundum legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudaei: Nobis non licet interficere quemquam (Io 18, 31).

74. Introivit ergo iterum in praetorium Pilatus, et vocavit Iesum (Io 18, 33).

75. Iesus autem stetit ante praesidem, et interrogavit eum praeses, dicens: Tu es Rex Iudaeorum (Mt 27, 11)?

76. Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me (Io 18, 34)?

77. Respondit Pilatus: Numquid ego Iudaeus sum? Gens tua, et pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti (Io 18, 35)?

78. Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Iudaeis: nunc autem regnum meum non est hinc (Io 18, 36).

79. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam (Io 18, 37).

80. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, ite-

rum exivit ad Iudaeos, et dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam (Io 18, 38).

81. At illi invalescebant, dicentes: Commovet populum docens per universam Iudaeam, incipiens a Galilaea usque huc (Lc 23, 5).

82. Pilatus autem audiens Galilaeam, interrogavit si homo Galilaeus esset (Lc 23, 6).

83. Et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Ierosolymis erat illis diebus (Lc 23, 7).

84. Herodes autem, viso Iesu, gavisus est valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri (Lc 23, 8).

85. Interrogabat autem eum multis sermonibus .At ipse nihil illi respondebat (Lc 23, 9).

86. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo: et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum (Lc 23, 11).

87. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad invicem (Lc 23, 12).

88. Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petissent (Mc 15, 6).

89. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barrabbas (Mt 27, 16).

90. Erat autem Barabbas latro (Io 18, 40).

91. Qui erat propter seditionem quandam factam in civitate et homicidium, missus in carcerem (Lc 23, 19).

92. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Iesum, qui dicitur Christus (Mt 27, 17)?

93. Exclamavit autem simul universa turba, dicens: Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam (Lc 23, 18).

94. Quid ergo vultis

faciam regi Iudaeorum (Mc 15, 12)?

95. Crucifige, crucifige eum (Lc 23, 21).

96. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, et dimittam (Lc 23, 22).

97. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine iusti huius: vos videritis (Mt 27, 24).

98. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis eius super nos, et super filios nostros (Mt 27, 25).

99. Pilatus autem volens populo satisfacere (Mc 15, 15),

100. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium, et seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant (Lc 23, 25).

101. Apprehendit Pilatus Iesum, et flagellavit (Io 19, 1).

102. Tunc milites praesidis suscipientes Iesum (Mt 27, 27) in atrium praetorii, (Mc 15, 16). Congregaverunt ad eum universam cohortem (Mt 27, 27):

103. Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei (Mt 27, 28).

104. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, et arundinem in dextera eius (Mt 27, 29). Et veniebant ad eum (Io 19, 3).

105. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave rex Iudaeorum (Mt 27, 29).

106. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput eius (Mt 27, 30). Et dabant ei alapas (Io 19, 3).

107. Exivit ergo iterum Pilatus foras, et dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nul-

lam invenio in eo causam (Io 19, 4).

108. (Exivit ergo Iesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum:) Et dicit eis: Ecce homo (Io 19, 5).

109. Cum ergo vidissent eum pontifices, et ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, et crucifigite: ego enim non invenio in eo causam (Io 19, 6).

110. Responderunt ei Iudaei: Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit (Io 19, 7).

111. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit (Io 19, 8).

112. Et ingressus est praetorium iterum: et dixit ad Iesum: Unde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei (Io 19, 9).

113. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te (Io 19, 10)?

114. Respondit Iesus: Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet (Io 19, 11).

115. Et exinde quaerebat Pilatus dimittere eum. Iudaei autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris. Omnis enim, qui se regem facit, contradicit Caesari (Io 19, 12).

116. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum: et sedit pro tribunali, in loco, qui dicitur Lithostrotos (Io 19, 13).

117. Et dicit Iudaeis: Ecce rex vester (Io 19, 14).

118. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus Regem, nisi Caesarem (Io 19, 15).

119. Tunc ergo tradidit eis illum (Io 19, 16).

120. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis eius, et duxerunt eum ut crucifigerent (Mt 27, 31).

121. Et baiulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae, locum, Hebraice autem Golgotha (Io 19, 17).

122. Et cum ducerent eum (Lc 23, 26), invenerunt (Mt 27, 32) praetereuntem quempiam, Simonem Cyraenaeum venientem de villa (Mc 15, 21).

123. Et imposuerunt illi crucem portare post Iesum (Lc 23, 26).

124. Sequebatur autem illum multa turba populi, et mulierum: quae plangebant, et lamentabantur eum (Lc 23, 27).

125. Conversus autem ad illas Iesus, dixit: Filiae Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros (Lc 23, 28).

126. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatae steriles, et ventres, qui non genuerunt, et ubera, quae non lactaverunt (Lc 23, 29).

127. Et postquam venerunt in locum.... Calvariae (Lc 23, 33) dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere (Mt 27, 34).

128. Erat autem hora tertia: et crucifixerunt eum (Mc 15, 25).

129. Et cum eo crucifigunt duos latrones: unum a dextris, et alium a sinistris eius (Mc 15, 27), medium autem Iesum (Io 19, 18).

130. Et impleta est scriptura, quae dicit: Et cum iniquis reputatus est (Mc 15, 28).

131. Iesus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt (Lc 23, 34).

132. Scripsit autem et titulum Pilatus: et posuit super crucem (Io 19, 19) HIC EST IESUS (Mt 27, 37) NAZARENUS, REX IUDAEORUM (Io 19, 19). Et erat scriptum Hebraice, Graece, et Latine (Io 19, 20).

133. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudaeorum: Noli scribere, Rex Iudaeorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Iudaeorum (Io 19, 21).

134. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi (Io 19, 22).

135. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, (et fecerunt quattuor partes: unicuique militi partem) et tunicam (Io 19, 23).

136. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum (Io 19, 23).

137. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit (Io 19, 24).

138. Praetereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua (Mt 27, 39);

139. Et dicentes: Vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud reaedificas: salva temetipsum: si Filius Dei es, descende de cruce (Mt 27, 40).

140. Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere (Mt 27, 42).

141. Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum (Lc 23, 39).

142. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es (Lc 23, 40).

143. Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit (Lc 23, 41).

144. Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum (Lc 23, 42).

145. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso (Lc 23, 43).

146. Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, et soror matris eius, Maria Cleophae, et Maria Magdalene (Io 19, 25).

147. Cum vidisset ergo Iesus matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suae: Mulier, ecce filius tuus (Io 19, 26).

148. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua (Io 19, 27).

149. Erat autem fere hora sexta, et tenebrae factae sunt in universam terram usque in horam nonam (Lc 23, 44). Et obscuratus est sol (Lc 23, 45).

150. Et hora nona exclamavit Iesus voce magna, dicens:.... Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me (Mc 15, 34)?

151. Postea sciens Iesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio (Io 19, 28).

152. Vas ergo erat positum aceto plenum (Io 19, 29).

153. Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere (Mt 27, 48).

154. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est (Io 19, 30).

155. Et clamans voce magna Iesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et haec dicens (Lc 23, 46), inclinato capite tradidit spiritum (Io 19. 30).

156. Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, et terra mota est, et petrae scissae sunt (Mt 27, 51),

157. Et monumenta aperta sunt: et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt (Mt 27, 52).

158. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis (Mt 27, 53).

159. Videns autem centurio (Mc 15, 39), et qui cum eo erant, custodientes Iesum, viso terrae motu et his, quae fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste (Mt 27, 54).

160. Et omnis turba eorum.... percutientes pectora sua revertebantur (Lc 23, 48).

161. Iudaei ergo, (quoniam Parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati), rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, et tollerentur (Io 19, 31).

162. Venerunt ergo milites: et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo (Io 19, 32).

163. Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura (Io 19, 33),

164. Sed unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua (Io 19, 34).

165. Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathaea, nomine Ioseph (Mt 27, 57).

166. Et audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Iesu (Mc 15, 43).

167. Pilatus autem mirabatur si iam obiisset. Et accersito centurione, interrogavit eum si iam mortuus esset (Mc 15, 44).

168. Et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Ioseph (Mc 15, 45).

169. Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus: et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat (Io 19, 41).

170. Ibi ergo propter Parasceven Iudaeorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum (Io 19, 42).

171. In monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit (Mt 27, 60).

172. Convenerunt principes sacerdotum, et pharisaei ad Pilatum (Mt 27, 62),

173. Dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam (Mt 27, 63).

174. Iube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium: ne forte veniant discipuli eius, et furentur eum, et dicant plebi: Surrexit a mortuis: et erit novissimus error peior priore (Mt 27, 64).

175. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis (Mt 27, 65).

176. Illi autem abeuntes, munierunt sepulcrum, signantes lapidem, cum custodibus (Mt 27, 66).

177. *Fructus passionis.* Quae utilitas in sanguine meo..... (Ps 29, 10)?

178. Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum (Io 12, 32).

179. Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis (Io 3, 14):

180. Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam (Io 3, 15).

181. Qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram (Rom 4, 25).

182. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, iustitiae vivamus: cuius livore sanati estis (1 Petr 2, 24. — Cf. Caritas n. 12).

183. Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit a peccatis (1 Petr 4, 1).

184. Protector noster aspice Deus: et respice in faciem Christi tui (Ps 83, 10).

185. *Devotio erga Passionem. Passionis memoria.* Christo confixus sum cruci (Gal 2, 19).

186. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (Gal 6, 14).

187. De caetero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto (Gal 6. 17).

188. Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta (Hebr 12, 2).

189. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes (Hebr 12, 3).

190. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes (Hebr 12, 4).

191. *Imitatio passionis.* Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est (Ex 25,40).

Pastor bonus.

1. Ego pascam oves meas: et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus (Ez 34, 15).

2. Quod perierat requiram, et quod abiectum erat reducam, et quod confractum fuerat alligabo, et quod infirmum fuerat consolidabo, et quod pingue et forte custodiam : et pascam illas in iudicio (Ez 34, 16).

3. Amen, amen dico vobis : qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde: ille fur est, et latro (Io 10, 1).

4. Qui autem intrat

per ostium, pastor est ovium (Io 10, 2).

5. Huic ostiarius aperit, et oves vocem eius audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas (Io 10, 3).

6. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit: et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius (Io 10, 4).

7. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo : quia non noverunt vocem alienorum (Io 10, 5).

8. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis (Io 10, 11).

9. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispergit oves (Io 10, 12):

10. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus (Io 10, 13).

11. Ego sum pastor bonus : et cognosco meas, et cognoscunt me meae (Io 10, 14).

12. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem: et animam meam pono pro ovibus meis (Io 10, 15).

13. Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor (Io 10, 16).

14. Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie (1 Petr 5, 2):

15. Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo (1 Petr 5, 3).

16. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam (1 Petr 5, 4).

17. *Pastor malus.* O pastor, et idolum, derelinquens gregem: gladius super brachium eius, et super oculum dextrum eius: brachi-

um eius ariditate siccabitur, et oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur (Za 11, 17).

Patientia.

(Cf. Probatia. — Crux. — Conformari).

1. Patientia enim vobis necessaria est: ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem (Hebr 10, 36).

2. Patientia autem opus perfectum habet: ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes (Iac 1, 4).

3. Melior est patiens viro forti: et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium (Pro 16, 32).

4. Et *(Apostoli)* ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati (Act 5, 41).

5. Scio et humiliari, scio et abundare: (ubique et in omnibus institutus sum) et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati (Phil 4, 12).

6. Patientes igitur estote fratres usque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens donec accipiat temporaneum, et serotinum (Iac 5, 7).

7. Patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra: quoniam adventus Domini appropinquavit (Iac 5, 8).

8. In patientia vestra possidebitis animas vestras (Lc 21, 19).

Paulus.

1. Cum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco: et subito circumfulsit eum lux de coelo (Act 9, 3).

2. Et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris (Act 9, 4)?

3. Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego

sum Iesus, quem tu persequeris: durum est tibi contra stimulum calcitrare (Act 9, 5).

4. Et tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere (Act 9, 6)?

5. Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israël (Act 9, 15).

6. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati (Act 9, 16).

7. Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes: Possumus scire quae est haec nova, quae a te dicitur, doctrina (Act 17, 19)?

8. (Athenienses autem omnes, et advenae hospites, ad nihil aliud vacabant nisi aut dicere, aut audire aliquid novi) (Act 17, 21).

9. Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses per omnia quasi superstitiosiores vos video (Act 17, 22).

10. Praeteriens enim, et videns simulacra vestra, inveni et aram, in qua scriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis (Act 17, 23).

11. Deus, qui fecit mundum, et omnia quae in eo sunt, hic coeli et terrae cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat (Act 17, 24),

12. Nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia (Act 17, 25):

13. Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae, definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum (Act 17, 26),

14. Quaerere Deum si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum (Act 17, 27).

15. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus: sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus (Act 17, 28).

16. Genus ergo cum simus Dei, non debemus aestimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturae artis, et cogitationis hominis, Divinum esse simile (Act 17, 29).

17. Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum (Act 17, 32).

18. *Gloria Pauli.* Gratia autem Dei sum id, quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum (1 Cor 15, 10).

19. Ministri Christi sunt, (ut minus sapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter (2 Cor 11, 23).

20. A Iudaeis quinquies, quadragenas, una minus, accepi (2 Cor 11, 24).

21. Ter virgis caesus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui (2 Cor 11, 25),

22. In itineribus saepe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus (2 Cor 11, 26):

23. In labore, et aerumna, in vigiliis multis, in fame, et siti, in ieiuniis multis, in frigore, et nuditate (2 Cor 11, 27).

24. Et scio huiusmodi hominem sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit (2 Cor 12, 3):

25. Quoniam raptus est in paradisum: et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui (2 Cor 12, 4).

26. *Humilitas.* Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei (1 Cor 15, 9).

27. Gratias ago ei, qui me confortavit Christo Iesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio (1 Tim 1, 12):

28. Qui prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate (1 Tim 1, 13. — Cf. Concionator n. 13).

29. *Caritas.* Cum possemus vobis oneri esse ut Christi Apostoli: sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foveat filios suos (1 Thess 2, 7).

30. Quoniam nunc vivimus, si vos statis in Domino (1 Thess 3, 8).

31. Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror (2 Cor 11, 29)?

32. Propter quod non deficimus: sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem (2 Cor 4, 16).

Pauperes.

(Cf. Divites. — Eleemosyna).

1. Pauperes enim semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis (Io 12, 8).

2. Audite fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et haeredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se (Iac 2, 5)?

Paupertas.

(Cf. Divitiae).

1. Melius est modi-

cum iusto, super divitias peccatorum multas (Ps 36, 16).

2. Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles (Pro 15, 16. — Cf. Actiones n. 2).

3. Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis (2 Cor 8, 9).

4. Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus (Lc 14, 33. — Cf. Beatitudines n. 3. — Sacerdos n. 17 sqq).

5. Petrus autem dixit: Argentum et aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu-Christi Nazareni surge, et ambula (Act 3, 6).

6. Nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia (Act 4, 32).

7. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant vendentes afferebant pretia eorum, quae vendebant (Act 4, 34),

8. Et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat (Act 4, 35).

Pax.

(Cf. Gaudium. — Tristitia. — Lacrimae).

1. *Necessitas pacis.* Inquire pacem, et persequere eam (Ps 33, 15).

2. Laetetur cor quaerentium Dominum (Ps 104, 3).

3. Cor gaudens exhilarat faciem: in moerore animi deiicitur spiritus (Pro 15, 13).

4. Animus gaudens aetatem floridam facit: spiritus tristis exsiccat ossa (Pro 17, 22).

5. Cognovi quod non esset melius nisi laetari, et facere bene in vita sua (Eccle 3, 12).

6. Felix, qui non habuit animi sui tristitiam, et non excidit a spe sua (Eccli 14, 2).

7. *Utilitas pacis.* Non in commotione Dominus (3 Reg 19, 11. — Cf. Beatitudines n. 9).

8. Beatus vir, qui sperat in eo (Ps 33, 9).

9. Factus est in pace locus eius: et habitatio eius in Sion (Ps 75, 3).

10. Quare tristis es anima mea? et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei et Deus meus (Ps 42, 5).

11. *Acquiritur fuga peccati.* Quis restistit ei, et pacem habuit (Ib 9, 4)?

12. Non est pax impiis, dicit Dominus (Is 48, 22).

13. Dicentes: Pax, pax: et non erat pax (Ir 6, 14).

14. Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te (Ps 30, 20).

15. Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus (Ps 33, 9. — Cf. Homo n. 6. — Consolatio n. 10).

16. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tuae laetificaverunt animam meam (Ps 93, 19).

17. Pax multa diligentibus legem tuam: et non est illis scandalum (Ps 118, 165).

18. Secura mens quasi iuge convivium (Pro 15, 15).

19. O quam bonus et suavis est Domine spiritus tuus in omnibus (Sap 12, 1)!

20. Ego autem in Domino gaudebo: et exsultabo in Deo Iesu meo (Hab 3, 18).

21. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet (Io 14, 27).

22. Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias

vestras in Christo Iesu (Phil 4, 7).

Peccator.

1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus: ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est (1 Io 1, 8).
2. Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit (Eccli 14, 5)?
3. Supra mortuum plora, defecit enim lux eius: et supra fatuum plora, deficit enim sensus (Eccli 22, 10).
4. Modicum plora supra mortuum, quoniam requievit (Eccli 22, 11).
5. Nequissimi enim nequissima vita super mortem fatui (Eccli 22, 12).
6. Luctus mortui septem dies: fatui autem et impii omnes dies vitae illorum (Eccli 22, 13. — Cf. Daemon n. 5 sqq).
7. Domine, iam foetet, quatriduanus est enim (Io 11, 39).
8. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia (Rom 5, 20).
9. Et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare (Mt 8, 2).
10. Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens: Volo. Mundare. Et confestim mundata est lepra eius (Mt 8, 3. — Cf. Conversio. — Misericordia).

Peccatum

I. originale.

1. Propterea sicut per unum hominum peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt (Rom 5, 12).
2. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea (Ps 50, 7).

II. actuale mortale.

3. *Multitudo.* Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me (Ps 18, 13. — Cf. Parentes n. 16).

4. *Gravitas.* (Cf. Concionator n. 14). Scito, et vide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus excercituum (Ir 2, 19).

5. *Rebellio.* Nemini mandavit impie agere, et nemini dedit spatium peccandi (Eccli 15, 21):
6. Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium et inutilium (Eccli 15, 22).

7. A saeculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti: Non serviam (Ir 2, 20).
8. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? (Rom 9, 20. — Cf. Castitas n. 14 15. — Deus n. 27 sqq).

9. *Contemptus.* Et cui assimilastis me, et adaequastis? dicit Sanctus (Is 40, 25).
10. Filius honorat patrem, et servus dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus, dicit Dominus exercituum (Mal 1, 6)?
11. Per praevaricationem legis Deum inhonoras (Rom 2, 23. — Cf. Passio n. 90 sqq).
12. *Ingratitudo.* (Cf. Luxuria n. 1). Servire me fecisti in peccatis tuis (Is 43, 24).
13. Obstupescite coeli super hoc, et portae eius desolamini vehementer, dicit Dominus (Ir 2, 12).
14. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas.... dissipatas, quae continere non valent aquas (Ir 2, 13).
15. Ecce dominus meus, omnibus mihi

traditis, ignorat quid habeat in domo sua (Gn 39, 8):

16. Quomodo ergo possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum? (Gn 39, 9. — Cf. Ingratitudo erga Deum n. 6 sqq).

17. Tu es ille vir.... (2 Reg 12, 7).

18. *Poenae temporales.* (Cf. Labor n. 2 sqq). Quoniam non obedivimus praeceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, et captivitatem, et mortem, et in fabulam, et in improperium, omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos (Tob 3, 4).

19. Video enim quia iniquitas eius finem dabit ei (Tob 14, 13).

20. Si iustitias meas profanaverint: et mandata mea non custodierint (Ps 88, 32):

21. Visitabo in virga iniquitates eorum: et in verberibus peccata eorum (Ps 88, 33).

22. Iustitia elevat gentem: miseros autem facit populos peccatum (Pro 14, 34).

23. Vae eis, quoniam recesserunt a me: vastabuntur (Os 7, 13).

24. Et facti sunt abominabiles sicut ea, quae dilexerunt (Os 9, 10).

25. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc (Rom 8, 22).

26. Loquere: Haec dicit Dominus: Et cadet morticinum hominis quasi stercus super faciem regionis, et quasi foenum post tergum metentis, et non est qui colligat (Ir 9, 22).

27. Quia ventum seminabunt, et turbinem metent (Os 8, 7. — Cf. Iudicium gen., n. 61).

28. *Poenae spirituales. Amissio Dei.* Sed iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum (Is 59, 2).

29. Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur, et veritatem

non facimus (1 Io 1, 6).

30. *Mors animae.* Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te (Ps 72, 27).

31. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem (Iac 1, 15).

32. Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus (Iac 2, 10).

33. Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam (Ps 10, 6).

34. Qui autem faciunt peccatum, et iniquitatem, hostes sunt animae suae (Tob 12, 10. — Cf. Luxuria n. 8).

35. Quam *(tunicam)* cum agnovisset pater *(Iacob)*, ait: Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Ioseph (Gn 37, 33. — Cf. Innocentes. — Parentes n. 3).

36. Quasi a facie colubri fuge peccata: et si accesseris ad illa, suscipient te (Eccli 21, 2).

37. Dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum (Eccli 21, 3).

38. Quia nomen habes quod vivas, et mortuus es.... (Apc 3, 1). Quia dicis: Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo: et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et caecus, et nudus (Apc 3, 17).

39. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrimarum? et plorabo die ac nocte interfectos filiae populi mei (Ir 9, 1. — Cf. Peccator n. 3 sqq).

40. *Amissio bonorum spiritualium.*

Pulchritudinis. Exterminavit eam aper de silva: et singularis ferus depastus est eam (Ps 79, 14).

41. Quam vilis facta es nimis (Ir 2, 36).

42. Peccatum peccavit Ierusalem, propter-

ea instabilis facta est: omnes, qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam eius: ipsa autem gemens conversa est retrorsum (Thr 1, 8).

43. Vide Domine et considera, quoniam facta sum vilis (Thr 1, 11).

44. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum (Thr 4, 1)?

45. Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora (Thr 4, 5).

46. Cecidit corona capitis nostri: vae nobis, quia peccavimus. Proptera moestum factum est cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri (Thr 5, 16 17).

47. *Pacis.* Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis (Ib 7, 20)?

48. Sic viae omnium, qui obliviscuntur Deum (Ib 8, 13).

49. *Libertatis.* Vae qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum (Is 5, 18).

50. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est (Rom 6, 21).

51. Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat (1 Io 3, 8. — Cf. Libertas n. 7).

52. *Meritorum.* (Cf. Luxuria n. 14). Qui in uno peccaverit, multa bona perdet (Eccle 9, 18).

53. Sapientiam enim, et disciplinam qui abiicit, infelix est: et vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum (Sap 3, 11).

54. Ecce omnes iniusti, et vana opera eorum (Is 41, 29).

55. Telas araneae texuerunt (Is 59, 5).

56. Telae eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis: opera eorum opera inutilia, et opus iniquitatis in manibus eorum (Is 59, 6).

57. *Odium Dei.* Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium (Ps 5, 7).

58. Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus (Ps 5, 7. — Cf. Deus n. 51).

59. *Derelictio Dei.* Vae eis cum recessero ab eis (Os 9, 12. — Cf. Deus n. 108).

60. *Mors reproba.* Quaeretis me, et in peccato vestro moriemini (Io 8, 21. — Cf. Conversio n. 36 37).

61. *Ex abusu gratiae graviora peccata.* Quoniam tempus est ut incipiat iudicium a domo Dei. Si autem primum a nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio (1 Petr 4, 17)?

62. In terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini (Is 26, 10).

63. *Aliqua peccata non remittentur.* Haec dicit Dominus: Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum (Am 1, 3).

64. Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro (Mt 12, 32).

65. *Damnatio aeterna.* Longe a peccatoribus salus: quia iustificationes tuas non exquisierunt (Ps 118, 155).

66. Ne dixeris: Peccavi, et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor (Eccli 5, 4).

67. Expectatio Israel Domine: omnes, qui te derelinquunt, confundentur: recedentes a te, in terra scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viven-

tium Dominum (Ir 17, 13).

68. Ut scirent quia per quae peccat quis, per haec et torquetur (Sap 11, 17).

69. *Peccatum remissum non reviviscit.* Sine poenitentia enim sunt dona, et vocatio Dei (Rom 11, 29).

70. *Conclusio.* Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ut obediatis concupiscentiis eius (Rom 6, 12). Et.... omnis fructus ut auferatur peccatum eius (Is 27, 9. — Cf. Parentes n. 16).

71. Nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri (Act 3, 17).

72. Poenitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra (Act 3, 19).

Non desperandum. — Cf. Spes n. 12. — Conversio. — Misericordia).

III. veniale.

(Cf. Tepor. — Negligentia).

73. Septies enim cadet iustus, et resurget (Pro 24, 16).

74. Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas (Cant 2, 15).

75. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes (Io 13, 10).

76. *Peste interierunt septuaginta millia hominum propter David, qui populum dinumerari iusserat, vanitate impulsus* (2 Reg 24).

77. Percussit... de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini... septuaginta viros et quinquaginta millia plebis (1 Reg 6, 19. — Cf. Sacrilegium n. 2).

Pentecostes.

1. Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco (Act 2, 1).

2. Et factus est repente de coelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes (Act 2, 2).

3. Et apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis, seditque supra singulos eorum (Act 2, 3):

4. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis (Act 2, 4).

Peregrinatio.

(Cf. Apparitiones n. 2).

1. *In montes.* Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi (Ps 120, 1).

2. Mons Dei, mons pinguis. Mons coagulatus, mons pinguis (Ps 67, 16):

Ut quid suspicamini montes coagulatos? Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem (Ps 67, 17).

3. Locum pedum meorum glorificabo (Is 60, 13).

4. Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius (Ps 131, 7. — Cf. Oratio n. 6).

5. Bene ambuletis, et sit Deus in itinere vestro, et Angelus eius comitetur vobiscum (Tob 5, 21).

Perfectio.

(Cf. Sanctitas. — Profectus spiritualis).

Persecutio.

(Cf. Probatio. — Crux).

1. *Necessitas.* Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos (Mt 10, 17):

2. Et ad praesides, et ad reges ducemini propter me in testimonium illis, et gentibus (Mt 10, 18).

3. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium: et insurgent filii in parentes et morte eos afficient (Mt 10, 21):

4. Et eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (Mt 10, 22).

5. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum (Mt 10, 24):

6. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius: et servo, sicut dominus eius. Si Patrem familias Beelzebub vocaverunt: quanto magis domesticos eius (Mt 10, 25)?

7. Si mundus vos odit: scitote quia me priorem vobis odio habuit (Io 15, 18).

8. Absque synagogis facient vos: sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo (Io 16, 2).

9. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum (Io 16, 33).

10. Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur (2 Tim 3, 12).

11. *Utilitas.* Si de mundo fuissetis: mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus (Io 15, 19).

12. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus maior domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur: si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt (Io 15, 20).

13. Et in nullo terreamini ab adversariis: quae illis est causa perditionis, vobis autem salutis, et hoc a Deo (Phil 1, 28):

14. Quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini (Phil 1, 29).

15. Sine sanguinis effusione non fit remissio (Hebr 9, 22).

16. Haec est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste (1 Petr 2, 19).

17. In hoc enim vocati estis: quia et Christus passus est pro nobis, vobis reliquens exemplum ut sequamini vestigia eius (1 Petr 2, 21. — Cf. Beatitudines n. 10 sqq).

18. (*Ægyptii*) Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, et crescebant (*Hebraei*) (Ex 1, 12).

19. *Confidentia in persecutionibus.* Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini (Mt 10, 19).

20. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis (Lc 18, 7)?

21. Dico vobis quia cito faciet vindictam illorum (Lc 18, 8).

22. Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israël, donec veniat Filius hominis (Mt 10, 23).

Persecutor.

(Cf. Persecutio).

1. Ruina est homini devorare sanctos (Pro 20, 25).

2. *Viros, qui in ignem miserunt Danielem, cum sociis combussit flamma ignis* (Dan 3, 22).

3. *Herodes Agrippa, qui occidit fratrem Ioannis gladio, et opprehendit Petrum, consumptus a vermibus expiravit* (Act 12, 23).

Perseverantia.

(Cf. Constantia. — Fortitudo.—Relapsus).

1. Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos (Eph 2, 4),

2. Et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cuius gratia estis salvati) (Eph 2, 5).

3. Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi (Eph 2, 13).

4. Confidens hoc ipsum, quia qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu (Phil 1, 6).

5. Vos autem fratres nolite deficere benefacientes(2 Thess 3, 13).

6. Videte vosmetipsos, ne perdatis quae operati estis: sed ut mercedem plenam accepiatis (2 Io 8).

7. *Necessitas.* Si autem averterit se iustus a iustitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? omnes iustitiae eius, quas fecerat, non recordabuntur: in praevaricatione, qua praevaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur (Ez 18, 24).

8. Ait... Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei (Lc 9, 62).

9. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo (Rom 6, 2)?

10. An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus (Rom 6, 3)?

11. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo (Rom 6, 10).

12. Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in

Christo Iesu Domino nostro (Rom 6, 11).

13. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ut obediatis concupiscentiis eius (Rom 6, 12).

14. Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus (Rom 14, 8).

15. *Utilitas.* Ne verearis usque ad mortem iustificari: quoniam merces Dei manet in aeternum (Eccli 18, 22).

16. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (Mt 24, 13).

17. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes (Gal 6, 9).

18. Scio opera tua, et laborem, et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos: et tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, et non sunt: et invenisti eos mendaces (Apc 2, 2).

19. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae (Apc 2, 10).

20. Ecce venio cito: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam (Apc 3, 11).

21. *Difficultas.* Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quaerens requiem et non invenit (Mt 12, 43).

22. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, et ornatam (Mt 12, 44).

23. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes habitant ibi: et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit et generationi huic pessimae (Mt 12, 45. — Cf. Oratio n. 55 sqq).

24. *Deus dat.* Confirma hoc Deus, quod

operatus es in nobis (Ps 67, 29).

25. Usque ad mortem certa pro iustitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos (Eccli 4, 33).

26. Si moram fecerit, exspecta illum: quia veniens veniet, et non tardabit (Hab 2, 3).

Petrus.

1. Iesus..... vidit duos fratres, Simonem..... et Andream fratrem eius..... Et ait illis: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum (Mt 4, 18 19).

2. Duodecim...... Apostolorum nomina..... Primus: Simon, qui dicitur Petrus..... (Mt 10, 2. — Cf. Angelus n. 9. — Pontifex. — Passio n. 28 59 sqq).

3. Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos (Io 21, 15).

4. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos (Io 21, 16).

5. Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Constristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? et dixit ei: Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas (Io 21, 17).

Philosophi.

(Cf. Doctrina perversa).

1. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt (Rom 1, 22).

2. Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt (Rom 1, 21).

3. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum: in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis (Rom 1, 24).

4. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum sensum: ut faciant ea, quae non conveniunt (Rom 1, 28).

Pietas.

(Cf. Devotio).

1. Exerce autem teipsum ad pietatem (1 Tim 4, 7).

2. Nam corporalis exercitatio, ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae (1 Tim 4, 8).

3. Est autem quaestus magnus pietas cum sufficientia (1 Tim 6, 6).

4. Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos devita (2 Tim 3, 5).

Pigritia.

(Cf. Otiositas. — Labor.)

Vae qui cogitatis inutile (Mich 2, 1).

Poena.

(Cf. Calamitates. — Peccatum n. 18 sqq.)

Poenitentia (virtus).

(Cf. Mortificatio).

1. *Virtutis necessitas.* Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum (Eccli 2, 22).

2. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adiicias peccatum super peccatum (Eccli 5, 5).

3. Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suae virtuti (Eccli 16, 8).

4. Ioannes... dicens: Poenitentiam agite: appropinquavit enim regnum coelorum (Mt 3, 1 2).

5. Coepit Iesus praedicare et dicere: Poenitentiam agite: appropinquavit enim regnum coelorum (Mt 4, 17).

6. Tunc coepit exprobare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes eius, quia non egissent poenitentiam (Mt 11, 20).

7. Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida: quia si in Tyro, et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere poenitentiam egissent (Mt 11, 21).

8. Verumtamen dico vobis: Tyro et Sidoni remissius erit in die iudicii, quam vobis (Mt 11, 22).

9. Et tu Capharnaum, numquid usque in coelum exaltaberis? usque infernum descendes: quia, si in Sodomis factae fuissent virtutes quae factae sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem (Mt 11, 23).

10. Verumtamen dico vobis, quia terrae Sodomorum remissius erit in die iudicii, quam tibi (Mt 11, 24).

11. *Vera poenitentia*. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur eius, et ad Deum nostrum: quoniam multus est ad ignoscendum (Is 55, 7).

12. Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit iudicium, et iustitiam: vita vivet, et non morietur (Ez 18, 21).

13. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor (Ez 18, 22).

14. Crediderunt viri Ninivitae in Deum: et praedicaverunt ieiunium, et vestiti sunt saccis a maiore usque ad minorem (Ion 3, 5. — Cf. Contritio n. 11).

15. Facite ergo fructum dignum poenitentiae (Mt 3, 8).

16. Dixerunt ad Petrum, et ad reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres (Act 2, 37)?

17. Petrus vero ad illos: Poenitentiam (inquit) agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum et accipietis donum Spiritus sancti (Act 2, 38).

18. Adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia (Col 1, 24. — Cf. Patientia n. 8).

19. *Falsa*. Nunc vero reminiscor malorum, quae feci in Ierusalem, unde et abstuli omnia spolia aurea, et argentea, quae erant in ea, et misi auferre habitantes Iudaeam sine causa (1 Mach 6, 12).

20. Cognovi ergo quia propterea invenerunt me mala ista: et ecce pereo tristitia magna in terra aliena (1 Mach 6, 13).

21. Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus (2 Mach 9, 13).

Poenitentia (Sacramentum).

(Cf. Gonfessio).

1. In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris (Za 13, 1).

2. Tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis (Mt 16, 19).

3. Amen dico vobis, quaecumqne alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo (Mt 18, 18).

4. Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos (Io 20, 21).

5. Haec cum dixisset, insufflavit: et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum (Io 20, 22):

6. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt (Io 20, 23).

Pontifex Romanus.

1. Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam (Mt 16, 18).

2. Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum (Lc 22, 31):

3. Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos (Lc 22, 32. — Cf. Poenitentia (Sacramentum) n. 2).

Potentes.

(Cf. Superbia. — Superiores).

Fortioribus autem fortior instat cruciatio (Sap 6, 9).

Potestas.

1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt (Rom 13, 1. — Cf. Deus n. 55 56).

2. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt (Rom 13, 2):

3. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac: et habebis laudem ex illa (Rom 13, 3):

4. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit (Rom 13, 4).

5. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam (Rom 13, 5).

6. Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari: et quae sunt Dei, Deo (Mt 22, 21).

Praedestinatio.

1. Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo (Mt 20, 23).

2. Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus (Rom 8, 29).

3. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et iustificavit: quos autem iustificavit, illos et glorificavit (Rom 8, 30).

Praedicatio.

(Cf. Verbum Dei. — Concionator. — Sacerdos.)

1. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante (Rom 10, 14)?

2. Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona (Rom 10, 15)!

3. Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi (Rom 10, 17).

4. Sermo meus..... non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis (1 Cor 2, 4).

5. Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei (2 Cor 2, 17).

6. Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes (1 Cor 1, 21).

Praesentatio.

(Cf. Iesus Christus n. 30. — Maria n. 9).

Praesentia Dei.

1. Dixi: Fortisan tenebrae conculcabunt

me: et nox illuminatio mea in deliciis meis (Ps 138, 11).

2. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos (Pro 15, 3).

3. Non dicas: A Deo abscondar, et ex summo quis mei memorabitur (Eccli 16, 16)?

In populo magno non agnoscar: quae est enim anima mea in tam immensa creatura (Eccli 16, 17)?

4. Tenebrae circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me: quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus (Eccli 23, 26. — Cf. Intentio n. 1).

5. Non est Deus in conspectu eius: inquinatae sunt viae illius in omni tempore (Ps H 10, 5).

6. Et non cognovit quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes (Eccli 23, 28).

7. Non praeterit illum omnis cogitatus, et non abscondit se ab eo ullus sermo (Eccli 42, 20).

8. Omne cor intelligitur ab illo (Eccli 16, 20).

9. Nonne ipse considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat (Ib 31, 4)?

10. Scrutans corda et renes Deus (Ps 7, 10).

11. Palpebrae eius interrogant filios hominum (Ps 10, 5).

12. Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob (Ps 93, 7).

13. Intelligite insipientes in populo: et stulti aliquando sapite (Ps 93, 8).

14. Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat (Ps 93, 9)?

15. Qui corripit gentes, non arguet: qui docet hominem scientiam (Ps 93, 10)?

16. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt (Ps 93, 11).

17. Intellexisti cogitationes meas de longe: semitam meam, et funiculum meum investigasti (Ps 138, 3).

18. Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima, et antiqua: tu formasti me, et posuisti super me manum tuam (Ps 138, 5).

19. Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam (Ps 138, 7)?

20. Si ascendero in coelum, tu illic es: si descendero in infernum, ades (138, 8).

21. Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris (Ps 138, 9):

22. Etenim illuc manus tua deducet me: et tenebit me dextera tua (Ps 138, 10).

23. Si occultabitur vir in absconditis: et ego non videbo eum, dicit Dominus? numquid non coelum et terram ego impleo, dicit Dominus? (Ir 23, 24. — Cf. Paulus n. 14. — Castitas n. 14 sqq).

24. Dicit ei Nathanael: Unde me nosti? Respondit Iesus, et dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te (Io 1, 48).

25. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo (Hebr 4, 13).

26. *Dixit Deus Abramo :* Ambula coram me, et esto perfectus (Gn 17, 1).

27. Ecce sicut oculi servorum, in manibus dominorum suorum..... ita oculi nostri ad Dominum (Ps 122, 2).

28. Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commovear (Ps 15, 8).

Praesentia realis.

(Cf. Eucharistia n. 20 sqq).

Praesumptio.

1. Ne innitaris prudentiae tuae (Pro 3, 5). Ne sis sapiens apud temetipsum (Pro 3, 7).

2. Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris: sed quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus eius ne fueris curiosus (Eccli 3, 22).

3. Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time (Rom 11, 20).

4. Tu ex naturali excisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam (Rom 11, 24).

5. Sapiens timet, et declinat a malo: stultus transilit, et confidit (Pro 14, 16).

6. Vae qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes (Is 5, 21).

7. Respondens autem Petrus, ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor (Mt 26, 33).

8. Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt (Mt 26, 35).

Probatio.

(Cf. Crux. — Persecutio).

1. *Necessitas.* Iugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturae, in matrem omnium (Eccli 40, 1).

2. A residente super sedem gloriosam, usque ad humiliatum in terra et cinere (Eccli 40, 3).

3. Fili accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia, et timore, et praepara animam tuam ad tentationem (Eccli 2, 1).

4. Quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis (Eccli 2, 5).

5. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te (Tob 12, 13).

6. Timor, quem timebam, evenit mihi: et quod verebar accidit (Ib 3, 25).

7. Quae prius nolebat tangere anima mea, nunc prae angustia, cibi mei sunt (Ib 6, 7).

8. *Utilitas.* (Cf. Caritas n. 24). Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit (Hebr 12, 6).

9. In disciplina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater (Hebr 12, 7)?

10. Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri, et non filii estis (Hebr 12, 8).

11. Qui non est tentatus, quid scit (Eccli 34, 9)?

12. Omnis autem disciplina in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed moeroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet iustitiae (Hebr 12, 11. — Cf. Calamitates n. 3 sqq).

13. Cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis, et non afflictionis, ut dem vobis finem et patientiam (Ir 29, 11).

14. Iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: et humiles spiritu salvabit (Ps 33, 19).

15. Multae tribulationes iustorum: et de omnibus his liberabit eos Dominus (Ps 33, 20).

16. Speciosa misericordia Dei, in tempore tribulationis, quasi nubes pluviae in tempore siccitatis (Eccli 35, 26. — Cf. Abnegatio n. 3 4).

17. *Non semper durabit.* Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi (Ps 39, 2.

— Cf. Iesus Christus n. 108 sqq).

18. Et exaudivit preces meas: et eduxit me de lacu miseriae, et de luto faecis (Ps 39, 3).

19. Ego, ego ipse consolabor vos (Is 51, 12).

20. Ad vesperum demorabitur fletus: et ad matutinum laetitia (Ps 29, 6).

21. Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur (Tob 3, 21).

22. Non enim delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem tranquillum facis: et post lacrimationem et fletum, exsultationem infundis (Tob 3, 22).

23. Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem iudicii reservare cruciandos (2 Petr 2, 9).

24. Communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriae eius gaudeatis exsultantes (1 Petr 4, 13).

25. Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor (1 Petr 4, 15).

26. Si autem ut Christianus, non crubescat: glorificet autem Deum in isto nomine (1 Petr 4, 16).

27. In quo exsultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus (1 Petr 1, 6):

28. Ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem in revelatione Iesu Christi (1 Petr 1, 7).

29. Bonum est praestolari cum silentio salutare Dei (Thr 3, 26).

30. Qui seminant in lacrimis, in exsultatione metent (Ps 125, 5).

31. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exsultatione, portantes

manipulos suos (Ps 125, 6).

32. Transivimus per ignem et aquam: et eduxisti nos in refrigerium (Ps 65, 12).

33. Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra (2 Cor 7, 4).

Prodigus Filius.

1. Homo quidam habuit duos filios (Lc 15, 11):

2. Et dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiae, quae me contingit. Et divisit illis substantiam (Lc 15, 12).

3. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose (Lc 15, 13).

4. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse coepit egere (Lc 15, 14).

5. Et abiit, et adhaesit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam ut pasceret porcos (Lc 15, 15).

6. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant: et nemo illi dabat (Lc 15, 16).

7. In se autem reversus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo (Lc 15, 17)!

8. Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccavi in coelum, et coram te (Lc 15, 18):

9. Iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis (Lc 15, 19).

10. Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum

eius, et osculatus est eum (Lc 15, 20).

11. Dixitque ei filius: Pater, peccavi in coelum, et coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus (Lc 15, 21).

12. Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manum eius, et calceamenta in pedes eius (Lc 15, 22):

13. Et adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus, et epulemur (Lc 15, 23):

14. Quia hic filius meus mortuus erat, et revixit: perierat, et inventus est. Et coeperunt epulari (Lc 15, 24).

15. Erat autem filius eius senior in agro: et cum veniret, et appropinquaret domui, audivit symphoniam, et chorum (Lc 15, 25):

16. Et vocavit unum de servis, et interrogavit quid haec essent (Lc 15, 26).

17. Isque dixit illi: Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit (Lc 15, 27).

18. Indignatus est autem, et nolebat introire. Pater ergo illius egressus, coepit rogare illum (Lc 15, 28).

19. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis servio tibi, et numquam mandatum tuum praeterivi, et numqam dedisti mihi hoedum ut cum amicis meis epularer (Lc 15, 29):

20. Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum (Lc 15, 30).

21. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt (Lc 15, 31):

22. Epulari autem, et gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat, et revixit: perierat, et inventus est

(Lc 15, 32. — Cf. Misericordia. — Conversio).

Proditio Iudae.

1. Iesus turbatus est spiritu: et protestatus est, et dixit: Amen, amen dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me (Io 13, 21).

2. Et post buccellam, introivit in eum satanas. Et dixit ei Iesus: Quod facis, fac citius (Io 13, 27).

3. Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox (Io 13, 30. — Cf. Passio n. 19 sqq).

Profectus spiritualis.

1. Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est (Mt 5, 48. — Cf. Beatitudines n. 6).

2. Dico enim vobis, quia nisi abundaverit iustitia vestra plus quam Scribarum, et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum (Mt 5, 20).

3. Quaerite ergo primum regnum Dei, et iustitiam eius: et haec omnia adiicientur vobis (Mt 6, 33).

4. Aemulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro (1 Cor 12, 31).

5. Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus (Eph 4, 15).

6. Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei (Col 1, 10. — Cf. Fiducia n. 31).

7. Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra (1 Thess 4, 3).

8. Crescite vero in gratia, et in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Iesu Christi. Ipsi gloria et nunc, et in diem aeternitatis. Amen (2 Petr 3, 18).

9. Qui nocet, noceat adhuc: et qui in sordi-

bus est, sordescat adhuc..... et sanctus, sanctificetur adhuc (Apc 22, 11).

10. Respondens autem Iesus, dixit ei: Sine modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam (Mt 3, 15).

11. Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion (Ps 83, 8).

12. Iustorum autem semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem (Pro 4, 18).

13. Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiae: parvulus enim est (Hebr 5, 13).

14. Perfectorum autem est solidus cibus: eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali (Hebr 5, 14).

15. Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo (Col 3, 3).

Professio religiosa.

(Cf. Pascha n. 1. — Vota. — Religiosus).

Promissiones baptismi.

1. Assumensque volumen foederis, legit audiente populo: qui dixerunt: Omnia quae locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes (Ex 24, 7. — Cf. Mandata Dei n. 33 sqq).

2. Testes invoco hodie coelum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum (Dt 30, 19).

3. Eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis, utrum diis, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrheorum, in quorum terra habitatis: ego autem et domus mea serviemus Domino (Ios 24, 15).

Prophetia.

Ego sum Deus... nec est similis mei (Is 46, 9): Annuntians ab exordio novissimum, et ab initio quae necdum factu sunt... Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet (Is 46, 10).

Propinqui.

1. Dixit ergo Abram ad Lot: Ne, quaeso, sit iurgium inter me et te, et inter pastores meos, et pastores tuos: fratres enim sumus (Gn 13, 8).

2. Ecce universa terra coram te est: recede a me, obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam (Gn 13, 9).

Propositum.

1. Dixi: Nunc coepi: haec mutatio dexterae Excelsi (Ps 76, 11).

2. Iuravi, et statui custodire iudicia iustitiae tuae (Ps 118, 106).

3. Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternum, propter retributionem (Ps 118, 112. — Cf. Poenitentia).

Providentia.

(Cf. Caritas Dei).

1. Neque dicas coram Angelo: Non est providentia: ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum (Eccle 5, 5).

2. Quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus (Sap 6, 8).

3. Quis praeparat corvo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes, eo quod non habeant cibos (Ib 38, 41)?

4. Qui dat iumentis escam ipsorum: et pullis corvorum invocantibus eum (Ps 146, 9).

5. Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (Sap 8, 1).

6. Sed omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti (Sap 11, 21).

7. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis (Dt 32, 11).

8. Respicite volatilia coeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester coelestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis (Mt 6, 26)?

9. Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent (Mt 6, 28).

10. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis (Mt 6, 29).

11. Si autem foenum agri quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicae fidei (Mt 6, 30)?

12. Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur (Mt 6, 31)?

13. Haec enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis (Mt 6, 32).

14. Nonne duo passeres asse veneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro (Mt 10, 29)?

15. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt (Mt 10, 30).

16. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos (Mt 10, 31).

17. Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium, qui oderunt nos (Lc 1, 71).

18. Quando misi vos sine sacculo, et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis (Lc 22, 35)?

19. Dominus autem praecedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis: ut dux esset itineris utroque tempore (Ex 13, 21).

20. Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo (Ex 13, 22).

Prudentia.

1. Scientia sanctorum, prudentia (Pro 9, 10. — Cf. Simplicitas n. 2).

2. In corde prudentis requiescit sapientia, et indoctos quosque erudiet (Pro 14, 33).

3. Et qui festinus est pedibus, offendet (Pro 19, 2). Quomodo in aquis resplendent vultus prospitientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus (Pro 27, 19).

4. Quis enim ex vobis volens turrim aedificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum (Lc 14, 28),

5. Ne, posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei (Lc 14, 29),

6. Dicentes: Quia hic homo coepit aedificare, et non potuit consummare (Lc 14, 30)?

7. Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se (Lc 14, 31)?

8. Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea, quae pacis sunt (Lc 14, 32).

9. Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem (Rom 12, 3).

10. Qui enim secundum carnem sunt: quae carnis sunt, sapiunt: qui vero secundum spiritum sunt: quae sunt spiritus, sentiunt (Rom 8, 5).

11. Nam prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita, et pax (Rom 8, 6).

12. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subiecta: nec enim potest (Rom 8, 7).

13. *Prudentia mundi.* Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo (1 Cor 1, 19).

14. Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (1 Cor 1, 25).

Purgatorium.

1. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem (1 Cor 3, 15).

2. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem (Mt 5, 26).

3. Facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrficium, bene et religiose de resurrectione cogitans (2 Mach 12, 43).

4. Derelinquerunt me propinqui mei: et qui me noverant, obliti sunt mei (Ib 19, 14).

5. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me (Ib 19, 21. — Cf. Eleemosyna n. 14).



Q

Quadragesima.

1. Iesus... cum ieiunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit (Mt 4, 1 2. — Cf. Opera bona n. 3. — Tentatio n. 13. — Contritio n. 2. — Gloria vana n. 8 9 10. — Regulae religiosae n. 1 2).

2. *Exempla. Ninivitae ieiunaverunt ipsi et pueri et pecora eorum, et Deus pepercit eis* (Ion 3). *Iudith ieiunebat omnibus diebus vitae suae praeter sabbata; et salvavit populum suum* (Idt 8, 6).

3. *Moyses ieiunavit per quadraginta dies, et recepit a Deo Tabulas legis* (Dt 9). *Elias confortatus pane ab angelo oblato ieiunavit quadraginta dies* (3 Reg 19).

Quies.

(Cf. Pax).

R

Regnum Dei.

1. Dominus regnabit in aeternum et ultra (Ex 15, 18. — Cf. Iesus Christus n. 182 sqq. — Deus n. 88 sqq).

2. Non est enim regnum Dei esca, et potus: sed iustitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto (Rom 14, 17).

Regulae religiosae.

1. Obedivimus ergo voci Ionadab filii Rechab, patris nostri, in omnibus, quae praecepit nobis, ita ut non biberemus vinum cunctis diebus nostris nos, et mulieres nostrae, filii, et filiae nostrae (Ir 35, 8).

2. Praevaluerunt sermones Ionadab filii Rechab, quos praecepit filiis suis ut non biberent vinum: et non biberunt usque ad diem hanc, quia obedierunt praecepto patris sui: ego autem locutus sum ad vos, de mane consurgens et loquens, et non obedistis mihi (Ir 35, 14).

Relapsus.

(Cf. Tepor. — Consuetudo. — Perseverantia).

1. Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius (Eccli 34, 30)?

2. Sic homo qui ieiunat in peccatis suis: et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet (Eccli 34, 31)?

3. Usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum (3 Reg 18, 21).

4. Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum (Ps 41, 8).

5. Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos (Cant 5, 3)?

6. Sic stulti estis, ut cum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini (Gal 3, 3)?

7. Nunc autem cum cognoveritis Deum immo cogniti sitis a Deo: quomodo convertimini iterum ad infirma, et egena elementa, quibus denuo servire vultis (Gal 4, 9)?

8. Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat (Io 5, 14).

9. State, et nolite iterum iugo servitutis contineri (Gal 5, 1).

10. Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste, et participes facti sunt Spiritus sancti (Hebr 6, 4),

11. Gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtusque saeculi venturi (Hebr 6, 5),

12. Et prolapsi sunt; rursus renovari ad poenitentiam (Hebr 6, 6).

13. Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia (Hebr 10, 26),

14. Terribilis autem quaedam expectatio iudicii, et ignis aemulatio, quae consumptura est adversarios (Hebr 10, 27).

15. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato (2 Petr 2, 21).

16. Contigit enim eis illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum: et, Sus lota in volutabro luti (2 Petr 2, 22).

Religio.

(Cf. Fides. — Ecclesia. — Revelatio).

1. *Gamiel ait:* Sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur (Act 5, 38):

2. Si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamini. Consenserunt autem illi (Act 5, 39).

3. Quis militat suis stipendiis umquam? Quis plantat vineam, et de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat (1 Cor 9, 7)?

4. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus (1 Cor 9, 11)?

5. Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere (1 Cor 9, 14).

Religiosus.

(Cf. Regulae. — Paupertas. — Obedientia. — Consilia).

1. Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis (Mt 19, 27)?

2. Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël (Mt 19, 28).

3. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit (Mt 19, 29. — Cf. Sacerdos n. 27. — Peccatum n. 62).

4. Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meae (Ps 68, 9).

5. Multitudo autem sapientium sanitas est

orbis terrarum (Sap 6, 26).

6. Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur (Ps 90, 1. — Cf. Deus n. 100. — Zelus n. 12).

7. Laetabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium (Is 35, 1).

Reliquiae.

(Cf. Sancti n. 7 8 9).

Remorsus.

(Cf. Conscientia).

1. Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te (Ir 2, 19. — Cf. Mali n. 25).

2. Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim praesumit saeva, perturbata conscientia (Sap 17, 10).

3. Una enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos avium sonus suavis, aut vis aquae decurrentis nimium. (Sap 17, 17),

4. Aut sonus validus praecipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus invisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus echo: deficientes faciebant illos prae timore (Sap 17, 18).

5. Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia: et nequissima paupertas in ore impii (Eccli 13, 30).

Reprobus.

(Cf. Infernus).

1. Perditio tua Israel (Os 13, 9).

2. Dilexit maledictionem, et veniet ei: et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo (Ps 108, 18).

3. Et induit maledictionem sicut vestimen-

tum, et intravit sicut aqua in interiora eius, et sicut oleum in ossibus eius (Ps 108, 18).

4. Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur: et sicut zona, qua semper praecingitur (Ps 108, 19).

5. Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet: desiderium peccatorum peribit (Ps 111, 10).

Respectus humanus.

(Cf. Generositas. — Fortitudo. — Constantia).

1. A verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria eius stercus, et vermis est (1 Mach 2, 62):

2. Hodie extollitur, et cras non invenietur: quia conversus est in terram suam, et cogitatio eius periit (1 Mach 2, 63).

3. Quis tu ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi foenum ita arescet (Is 51, 12)?

4. Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum (1 Cor 7, 23).

5. Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est (Mt 10, 32):

6. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est (Mt 10, 33).

7. Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos (Ps 52, 6).

8. Ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisaeos non confitebantur, ut e synagoga non eiicerentur (Io 12, 42).

9. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei (Io 12, 43).

10. Mathathias... dixit magna voce: Et si omnes gentes regi Antiocho obediunt, ut discebat unusquisque a servitute legis patrum suorum, et consentiat mandatis eius (1 Mach 2, 19):

11. Ego et filii mei, et fratres mei obediemus legi patrum nostrorum (1 Mach 2, 20).

12. Petrus vero, et Ioannes respondentes, dixerunt ad eos: Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, iudicate (Act 4, 19):

13 Non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui (Act 4, 20).

14. Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudaeo primum, et Graeco (Rom 1, 16).

15. Modo enim hominibus suadeo, an Deo? An quaero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem (Gal 1, 10).

Restitutio.

1. Ignis in domo impii thesauri iniquitatis (Mich 6, 10).

2. Stans autem Zacheus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum (Lc 19, 8. — Cf. Fur. — Furtum).

Resurrectio Iesu Christi.

(Cf. Pascha).

Resurrectio Mortuorum.

1. Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum (Ib 19, 25):

2. Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. (Ib 19, 26. — Cf. Coelum n. 25 26).

3. *Ezechiel in visu vidit campum magnum plenum ossibus, ad quae dixit iussu Dei:* Ossa arida audite verbum Domini (Ez 37, 4), *et statim induta*

sunt carne et pelle, et factus est exercitus magnus. **Dixitque** *Deus :*

4. Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris populus meus: et inducam vos in terram Israel (Ez 37, 12).

5. Et multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt: alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium ut videant semper (Dan 12, 2).

6. Et cum fiducia ait: E coelo ista possideo, sed propter Dei leges nunc haec ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero (2 Mach 7, 11).

7. Et, cum iam esset ad mortem, sic ait: Potius est ab hominibus morti datos spem expectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos: tibi enim resurrectio ad vitam non erit (2 Mach 7, 14).

8. Sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges eius (2 Mach 7, 23).

9. (Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, et vanum orare pro mortuis.) (2 Mach 12, 44).

10. Et quia considerabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam (2 Mach 12, 45).

11. Sancta ergo, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur (2 Mach 12, 46).

12. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis (Mt 22, 31):

13. Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium (Mt 22, 32).

14. Procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii (Io 5, 29).

15. Ego sum resurrectio, et vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet (Io 11, 25. — Cf. Vita spiritualis n. 6).

16. Si autem resurrectio mortuorum non est: neque Christus resurrexit (1 Cor 15, 13).

17. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra (1 Cor 15, 14).

18. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus (1 Cor 15, 19).

19. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium (1 Cor 15, 20).

20. Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus, et bibamus, cras enim moriemur (1 Cor 15, 32).

21. Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient (1 Cor 15, 35)?

22. Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur (1 Cor 15, 36).

23. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicuius ceterorum (1 Cor 15, 37).

24. Deus autem dat illi corpus sicut vult: et unicuique seminum proprium corpus (1 Cor 15, 38).

25. Sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione (1 Cor 15, 42).

26. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: Seminatur in infirmitate, surget in virtute (1 Cor 15, 43).

27. Seminatur corpus animale, surget corpus

spiritale. Si est corpus animale, est et spiritale, sicut scriptum est (1 Cor 15, 44).

28. Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur (1 Cor 15, 51).

29. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: et mortale hoc induere immortalitatem (1 Cor 15, 53).

30. Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri, qui spem non habent (1 Thess 4, 13. — Cf. Iudicium generale n. 30).

31. Quoniam ipse Dominus in iussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de coelo: et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi (1 Thess 4, 16).

32. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, et sic semper cum Domino erimus. Itaque consolamini invicem in verbis istis (1 Thess 4, 17 18).

Revelatio.

(Cf. Fides. — Religio).

1. Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio (Hebr 1, 1 2).

2. Deum nemo vidit umquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit (Io 1, 18).

3. Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare (Mt 11, 27).

4. Sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudivit te (Dt 8, 5).

5. Beati sumus Israël: quia quae Deo placent, manifesta sunt nobis (Bar 4, 4).

6. Qui respondens, ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni coelorum: illis autem non est datum (Mt 13, 11).

7. Et conversus ad discipulos suos, dixit: Beati oculi, qui vident quae vos videtis (Lc 10, 23).

8. Dico enim vobis, quod multi prophetae, et reges voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt: et audire quae auditis, et non audierunt (Lc 10, 24).

9. Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt (Io 1, 5).

10. Respondit Iesus: Nonne duodecim sunt horae diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt (Io 11, 9):

11. Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo (Io 11,10. — Cf. Meditatio n. 10).

Risus.

(Cf. Gaudium. — Voluptas).

Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacite ridebit (Eccli 21, 23).



S

Sacerdos.

(Cf. Clericus et Praedicatio).

1. *Vocatio.* Nec quisquam sumit sibi honorum, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret (Hebr 5, 4 5.— Cf. Iesus Christus n. 140 sqq).

2. *Dignitas Sacerdotis.* Obediente Domino voci hominis (Ios 10, 14).

3. Ipsum elegit ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, incensum, et bonum odorem, in memoriam placare pro populo suo (Eccli 45, 20).

4. Sic nos existimet homo ut ministros Christi: et dispensatores mysteriorum Dei (1 Cor 4, 1).

5. Potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in aedificationem, et non in destructionem... (2 Cor 10, 8).

6. Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo et doctrina (1 Tim 5, 17).

7. *Sanctitas.* Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur ne percutiat eos (Ex 19, 22).

8. Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen eius: incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt (Lv 21, 6. — Cf. Peccatum n. 62).

9. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum (Ps 49, 16)?

10. Ab immundo quid mundabitur (Eccli 34, 4)?

11. *Isaias Dominum videns aiebat: Vae mihi quia vir pollutus labiis ego sum: et Seraphim cum calculo, quem tulerat de altari, tetigit os eius. Deinde Domino dicenti:* Quem mittam? *respondit:* Ecce ego, mitte me (Is 6, 8).

12. Inebriabo animam sacerdotum pinguedine: et populus meus bonis meis adimplebitur, ait Dominus (Ir 31, 14).

13. Et nunc ad vos mandatum hoc, o sacerdotes (Mal 2, 1).

14. Si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris, et maledicam illis (Mal 2, 2).

15. Pactum meum fuit cum eo *(Levi)* vitae et pacis: et dedi ei timorem, et timuit me, et a facie nominis mei pavebat (Mal 2, 5).

16. Lex veritatis fuit in ore eius, et iniquitas non est inventa in labiis eius: in pace, et in aequitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate (Mal 2, 6).

17. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris (Mt 10, 9):

18. Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim est operarius cibo suo (Mt 10, 10).

19. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones eiicite: gratis accepistis, gratis date (Mt 10, 8).

20. Segregate mihi Saulum, et Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos (Act 13, 2).

21. Erit sicut populus, sic sacerdos (Is 24, 2).

22. Sacerdotes eius contempserunt legem meam, et polluerunt sanctuaria mea (Ez 22, 26).

23. Et quaesivi de eis virum, qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam: et non inveni (Ez 22, 30).

24. Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii (1 Tim 4, 14).

25. Adolescentiores autem viduas devita: Cum enim luxuriatae fuerint in Christo, nubere volunt (1 Tim 5, 11).

26. Tu autem o homo Dei haec fuge: sectare vero iustitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem (1 Tim 6, 11).

27. Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus: ut ei placeat, cui se probavit (2 Tim 2, 4).

28. Iuvenilia autem desideria fuge, sectare vero iustitiam, fidem, spem, caritatem, et pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro (2 Tim 2, 22).

29. *Opera eius.* Stulto labore consumeris et tu, et populus iste qui tecum est: ultra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere (Ex 18, 18).

30. Esto tu populo in his quae ad Deum pertinent, ut referas quae dicuntur ad eum (Ex 18, 19):

31. Ostendasque populo ceremonias et ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, et opus quod facere debeant (Ex 18, 20).

32. Ecce constitui te hodie super gentes, et super regna ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et aedifices, et plantes (Ir

1, 10. — Cf. Pastor bonus n. 1 sqq).

33. Hos duodecim misit Iesus: praecipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis (Mt 10, 5):

34. Sed potius ite ad oves, quae perierunt domus Israel (Mt 10, 6).

35. Euntes autem praedicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum coelorum (Mt 10. 7).

36. In quamcumque autem civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit: et ibi manete donec exeatis (Mt 10, 11).

37. Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui (Mt 10, 12).

38. Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia eiicient: linguis loquentur novis (Mc 16, 17):

39. Serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super aegros manus imponent, et bene habebunt (Mc 16, 18).

40. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis (Gal 4, 19. — Cf. Paulus n. 29).

41, *Veritatem nuntiare.* (Cf. Veritas n. 1). Vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est (3 Reg 17, 24).

42. Ecce docuisti multos, et manus lassas roborasti (Ib 4, 3):

43. Vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti (Ib 4, 4).

44. Est qui emittit verbum certum enarrans veritatem (Eccli 19, 23).

45. Dominus dedit mihi linguam eruditam ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo (Is 50, 4).

46. Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina (Ir

3, 15. — Cf. Missionarius n. 2 8).

47. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates (Dan 12, 3).

48. Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi (Os 4, 6).

49. Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis (Thr 4, 4. — Cf. Verbum Dei n. 23).

50. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum (Ez 3, 8).

51. Ne timeas eos, neque metuas a facie eorum: quia domus exasperans est (Ez 3, 9).

52. Si dicente me ad impium: Morte morieris: non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur a via sua impia, et vivat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram (Ez 3, 18).

53. Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua, et a via sua impia: ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti (Ez 3, 19).

54. Sed et si conversus iustus a iustitia sua fuerit, et fecerit iniquitatem: ponam offendiculum coram eo, ipse morietur, quia non annuntiasti ei: in peccato suo morietur, et non erunt in memoria iustitiae eius, quas fecit: sanguinem vero eius de manu tua requiram (Ez 3, 20).

55. Speculatores eius caeci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia (Is 56, 10).

56. Vae enim mihi est, si non evangelizavero (1 Cor 9, 16).

57. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo (2 Cor 5, 20).

58. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, et doctrinae (1 Tim 4, 13).

59. Attende tibi, et doctrinae: insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt (1 Tim 4, 16).

60. Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est (Mal 2, 7).

61. Vae pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: nonne greges a pastoribus pascuntur (Ez 34, 2)?

62. Lac comedabitis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis (Ez 34, 3).

63. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod aegrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, et quod abiectum est non reduxistis, et quod perierat non quaesistis: sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia (Ez 34, 4).

64. Et dispersae sunt oves meae, eo quod non esset pastor: et factae sunt in devorationem omnium bestiarum agri (Ez 34, 5).

65. Haec dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos ut ultra non pascant gregem (Ez 34, 10).

66. Ideo omnis scriba doctus in regno coelorum, similis est homini patri familias, qui profert de thesauro suo nova et vetera (Mt 13, 52).

67. Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me,

sanare contritos corde (Lc 4, 18).

68. Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis (Act 6, 2).

69. Nos vero orationi, et ministerio verbi instantes erimus (Act 6, 4).

70. Graecis, ac Barbaris, sapientibus, et insipientibus, debitor sum (Rom 1, 14. — Cf. Zelus n. 10).

71. Tu es magister in Israël, et haec ignoras (Io 3, 10)?

72. O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae (1 Tim 6, 20).

73. Profana autem, et vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem (2 Tim 2, 16).

74. Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere (Tit 1, 9).

75. Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem: iuvenes, ut fratres: Anus, ut matres: iuvenculas, ut sorores in omni castitate: Viduas honora, quae vere viduae sunt (1 Tim 5, 1 2 3).

76. *Orare.* Recordare quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis (Ir 18, 20).

77. Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes ministri Domini: et dicent: Parce Domine, parce populo tuo: et ne des haereditatem tuam in opprobrium ut dominentur eis nationes: quare dicunt in populis: Ubi est Deus eorum (Ioel 2, 17)?

78. Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et

sacrificia pro peccatis (Hebr 5, 1):

79. Qui condolere possit iis, qui ignorant, et errant: quoniam et ipse circumdatus est infirmitate (Hebr 5, 2):

80. Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis (Hebr 5, 3).

81. *Exemplum dare.* Vae pastoribus, qui disperdunt et dilacerant gregem pascuae meae, dicit Dominus (Ir 23, 1).

82. Homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos (1 Mach 7, 14).

83. Et crediderunt ei: Et comprehendit ex eis sexaginta viros, et occidit eos in una die secundum verbum, quod scriptum est (1 Mach 7, 16).

84. Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus (Mt 5, 13).

85. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita (Mt 5, 14):

86. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum ut luceat omnibus, qui in domo sunt (Mt 5, 15).

87. Sic luceat lux vestra coram hominibus: ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est (Mt 5, 16).

88. Sinite illos: caeci sunt, et duces caecorum: caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt (Mt 15, 14).

89. Alligant enim onera gravia, et importabilia, et imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere (Mt 23, 4).

90. Omnia vero opera sua faciunt ut videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias (Mt 23, 5).

91. Amant autem primos recubitus in coenis, et primas cathedras in synagogis (Mt 23, 6),

92. Et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi (Mt 23, 7).

93. Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis (Mt 23, 8).

94. Et patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim Pater vester, qui in coelis est (Mt 23, 9).

95. Nec vocemini magistri: quia Magister vester unus est, Christus (Mt 23, 10).

96. Spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus (1 Cor 4, 9).

97. Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis (2 Cor 6, 4),

98. In castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, et in caritate non ficta (2 Cor 6, 6).

99. Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus (2 Cor 8, 21).

100. Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate (1 Tim 4, 12).

101. *Officia erga sacerdotem.* Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto iudicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israël (Dt 17, 12).

102. Nolite tangere christos meos: et in prophetis meis nolite malignari (Ps 104, 15).

103. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit: et ministros eius ne derelinquas (Eccli 7, 32).

104. Qui recipit vos, me recipit: et qui me recipit, recipit eum qui me misit (Mt 10, 40).

105. Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet: et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet (Mt 10, 41).

106. Super cathedram Moysi sederunt Scribae, et Pharisaei (Mt 23, 2).

107. Omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate, et facite: secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, et non faciunt (Mt 23, 3. — Cf. Obedientia. — Superiores n. 9).

Sacerdotium Fidelium.

1. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum (1 Petr 2, 9).

2. Sacerdotium sanctum, offere spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum (1 Petr 2, 5).

Sacramenta.

(Cf. Eucharistia. — Poenitentia.)

1. Omnes sitientes venite ad aquas: et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite: venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac (Is 55, 1).

2. Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris (Is 12, 3).

Sacrilegium.

(Cf. Eucharistia n. 47 sqq.)

1. *Sacrilegii gravitas.* Nolite dare sanctum canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos: ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos (Mt 7, 6. — Cf. Oratio n. 56).

2. Itaque quicumque

manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne: reus erit corporis, et sanguinis Domini (1 Cor 11, 27).

3. Probet autem seipsum homo: et sic de pane illo edat, et de calice bibat (1 Cor 11,28).

4. Qui enim manducat, et bibit indigne, iudicium sibi manducat, et bibit: non diiudicans corpus Domini (1 Cor 11, 29).

5. Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes (Hebr 6, 6. — Cf. Ingratitudo n. 6 7 8).

6. *Sacrilegii poenae.* Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur (Hebr 10, 28):

7. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiae contumeliam fecerit (Hebr 10, 29)?

8. Vae autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille (Mt 26, 24).

9. *Spirituales.* Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi (1 Cor 11,30).

10. *Temporales. Clamabat Iosue:* Cavete ne appropinquetis ad arcam (Ios 3, 4).

11. Iratus est itaque Dominus contra Ozam, et percussit eum, eo quod tetigisset arcam: et mortuus est ibi coram Domino (1 Par 13, 10. — Cf. Peccatum n. 77).

12. Baltassar rex fecit grande convivium (Dan 5, 1). Tunc allata sunt vasa.... quae asportaverat de templo... et biberunt in eis rex... et concubinae illius... (Dan 5, 3). In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis... (Dan 5, 5). Haec est autem scriptura, quae digesta est: MANE, THECEL, PHARES..... MANE: numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud. THECEL: appensus es in statera, et inventus es minus habens. PHARES: divisum est regnum tuum..... (Dan 5, 25 26 27 28). Eadem nocte interfectus est Baltassar rex Chaldaeus (Dan 5, 30. — Cf. Bona ecclesiastica).

13. *(Iudas)* possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius: et diffusa sunt omnia viscera eius (Act 1, 18. — Cf. Proditio Iudae. — Passio n. 19 sqq).

14. *Æternae.* Intravit autem rex ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali (Mt 22, 11).

15. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit (Mt 22, 12).

16. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus et pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, et stridor dentium (Mt 22, 13).

Salus.

(Cf. Finis hominis).

1. *Angeli dixerunt Loth:* Surge, tolle uxorem tuam, et duas filias quas habes: ne et tu pariter pereas in scelere civitatis (Gn 19, 15).

2. Salva animam tuam: noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione: sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas (Gen 19, 17).

3. *Dicebat Nehemias:* Opus grande ego facio, et non possum descendere: ne forte negligatur cum venero, et descendero ad vos (2 Esd 6, 3. — Cf. Divitiae n. 13).

4. Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quae ste.

tit, et ait: Domine, non est tibi curae quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adiuvet. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima (Lc 10, 40 41).

5. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem eligit, quae non auferetur ab ea (Lc 10, 42. — Cf. Anima n. 1).

6. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei (Gal 6, 10. — Cf. Peccatum n. 65. — Vigilantia n. 5).

7. Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit (Eccle 9, 1).

8. Ite et vos in vineam meam, et quod iustum fuerit dabo vobis (Mt 20, 4).

9. Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi (Mt 20, 6)?

10. *Omnes acceperunt denarium, et primis quaerentibus dixit:* Amice non facio tibi iniuriam: nonne ex denario convenisti mecum (Mt 20, 13)?

11. Tolle quod tuum est, et vade: volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi (Mt 20, 14).

12. Aut non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum (Mt 20, 15)?

13. Rogamus autem vos fratres ut abundetis magis, et operam detis ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut praecipimus vobis (1 Thess 4, 10 11).

Sancti.

(Cf. Panegyrica oratio. — Iusti.)

1. *Honoremus.* Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua (Eccli 44, 1).

2. Et imperantes in praesenti populo, et virtute prudentiae populis sanctissima verba (Eccli 44, 4).

3. Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes: pacificantes in domibus suis (Eccli 44, 6).

4. Et sunt quorum non est memoria: perierunt quasi qui non fuerint: et nati sunt, quasi non nati, et filii ipsorum cum ipsis (Eccli 44, 9).

5. Sed illi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt (Eccli 44, 10):

6. Et filii eorum propter illos usque in aeternum manent: semen eorum et gloria eorum non derelinquetur (Eccli 44, 13).

7. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt et nomen eorum vivit in generationem et generationem (Eccli 44, 14).

8. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet ecclesia (Eccli 44, 15.)

Mirabilis Deus in sanctis suis (Ps 67, 36).

9. Ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore eius sudaria, et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur (Act 19, 12).

10. *Invocemus. (Pincernae dixit Ioseph):* Tantum memento mei, cum bene tibi fuerit, et facias mecum misericordiam: ut suggeras Pharaoni ut educat me de isto carcere (Gn 40, 14).

11. Hic est fratrum amator, et populi Israël: hic est, qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate, Ieremias (2 Mach 15, 14).

12. *Imitemur.* Quoniam filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo (Tob 2, 18).

13. Ideoque et nos tantam habentes impo-

sitam nubem testium, deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curamus ad propositum nobis certamen (Hebr 12, 1).

14. Visi sunt oculis insipientium mori: et aestimata est afflictio exitus illorum (Sap 3, 2):

15. Et quod a nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace (Sap 3, 3).

16. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est (Sap 3, 4).

17. Fulgebunt iusti, et tamquam scintillae in arundineto discurrent (Sap 3, 7).

18. Iudicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum (Sap 3, 8).

19. Iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum (Mt 13, 43).

20. Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate (1 Cor 15, 41).

21. Vidi suptus altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium, quod habebant (Apc 6, 9. — Cf. Coelum n. 1 2 16 66 67. — Ecclesia n. 5 sqq.— Iudicium n. 77 sqq).

Sanctitas.

(Cf. Sancti).

1. Sancti estote, quia ego sanctus sum (Lv 11, 44).

2. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est (Io 17, 17).

3. Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate (Io 17, 19).

4. Secundum eum, qui vocati vos, Sanctum: et ipsi in omni conversatione sancti sitis (1 Petr 1, 15).

5. Ecclesia Dei, quae est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis (1 Cor 1, 2).

Sanitas.

Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates (1 Tim 5, 23. — Cf. Aeger. — Medicus).

Sapientia.

1. *Sapientia falsa.* (Cf. Prudentia mundi n. 13 sqq). Non est enim ista sapientia desursum descendens: sed terrena, animalis, diabolica (Iac 3, 15).

2. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum (1 Cor 3, 19).

3. *Sapientia vera.* (Cf. Iuvenes n. 9). Quae autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, et fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione (Iac 3, 17).

4. Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante aevum (Eccli 1, 1).

5. Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis (Sap 1, 4).

6. Quisquis vestrum sapiens est, veniat, et faciat quod Dominus imperavit (Ex 35, 10).

7. Postula quod vis ut dem tibi (3 Reg 3, 5).

8. Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare possit, et discernere inter bonum et malum: quis enim poterit iudicare populum istum, populum tuum hunc multum (3 Reg 3, 9)?

9. Quia postulasti verbum hoc, et non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium (3 Reg 3, 11):

10. Ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit (3 Reg 3, 12).

11. Divitias autem et substantiam et gloriam dabo tibi (2 Par 1, 12. — Cf. Gratia n. 2 sqq. — Mortificatio n. 9 10).

12. Si quaesieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam (Pro 2, 4):

13. Tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies (Pro 2, 5).

14. Sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quaerunt illam (Sap 6, 13).

15. Praeoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat (Sap 6, 14).

16. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet (Sap 6, 15).

17. Propter hoc optavi, et datus est mihi sensus: et invocavi, et venit in me spiritus sapientiae (Sap 7, 7):

18. Et praeposui illam regnis, et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius (Sap 7, 8):

19. Nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, et tamquam lutum aestimabitur argentum in conspectu illius (Sap 7, 9).

20. Super salutem et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam: quoniam inexstinguibile est lumen illius (Sap 7, 10).

21. Hanc amavi, et exquisivi a iuventute mea, et quaesivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formae illius (Sap 8, 2).

Scandalum.

(Cf. Exemplum).

1. Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiae, ut a vero devies. (Ex 23, 2. — Cf. Parentes n. 27).

2. Vae mundo a scandalis. Neccesse est enim ut veniant scandala: verumtamen vae homini illi, per quem scandalum venit (Mt 18, 7. — Cf. Occasio n. 15 sqq).

3. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum, in coelis semper vident faciem Patris mei qui in coelis est (Mt 18, 10).

4. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris (Mt 18, 6. — Cf. Anima n. 5. — Daemon n. 9. — Ioannes Baptista n. 11).

5. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem (1 Cor 8, 13).

6. Non enim aetati nostrae dignum est, inquit, fingere: ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum (2 Mach 6, 24):

7. Et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum corruptibilis vitae tempus decipiantur, et per hoc maculam, atque exsecrationem meae senectuti conquiram (2 Mach 6, 25).

8. Nam, etsi in praesenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam (2 Mach 6, 26).

9. Quam ob rem fortiter vita excedendo, senectute quidem

dignus apparebo (2 Mach 6, 27):

10. Adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo, ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar. His dictis, confestim ad supplicium trahebatur (2 Mach 6, 28).

Scapulare.

Induit me vestimentis salutis: et indumento iustitiae circumdedit me (Is 61, 10).

Scientia.

1. Proposui in animo meo quaerere et investigare sapienter de omnibus, quae fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea (Eccle 1, 13).

2. Mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem (Eccle 3, 11).

3. Semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes (2 Tim 3, 7).

4. Scientia inflat, caritas vero aedificat (1 Cor 8, 1).

5. *(Tamen)* Deus scientiarum, Dominus est (1 Reg 2, 3. — Cf. Deus n. 78). Venit in me spiritus sapientiae (Sap 7, 7. — Cf. Catechismus. — Doctrina. — Ignorantia).

Scriptura Sacra.

(Cf. Inspiratio — Interpretatio).

1. Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam, et consolationem Scripturam, spem habeamus (Rom 15, 4).

2. Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia (2 Tim 3, 16):

3. Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus (2 Tim 3, 17).

4. Et quia ab infantia sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem, per fidem, quae est in Christo Iesu (2 Tim 3, 15).

5. Nos, cum nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris (1 Mach 12, 9).

6. Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines (2 Petr 1, 21).

7. Comede volumen istud, et vadens loquere ad filios Israël (Ez 3, 1).

8. Et comedi illud: et factum est in ore meo sicut mel dulce (Ez 3, 3).

Senectus.

1. Senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia (Tit 2, 2).

2. Corona dignitatis senectus, quae in viis iustitiae reperietur (Pro 16, 31. — Cf. Vita n. 18).

3. Vetus melius est (Lc 5, 39). *(Sensus accomodatitius)*.

Senes honorandi sunt. (Cf. Filii n. 13 sqq).

Sensualitas.

(Cf. Mortificatio).

Sermo.

(Cf. Praedicatio. — Conversatio).

Servi.

(Cf. Superiores. — Obedientia. — Inferiores).

1. Servus sapiens dominabitur filiis stultis (Pro 17, 2).

2. Servi obedite dominis carnalibus cum timore, et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo (Eph 6, 5):

3. Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo (Eph 6, 6),

4. Cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus (Eph 6, 7).

5. Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino, et non hominibus (Col 3, 23):

6. Scientes quod a Domino accipietis retributionem haereditatis. Domino Christo servite (Col 3, 24).

7. Quicumque sunt sub iugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur (1 Tim 6, 1).

8. Subditi estote... non tantum bonis... sed etiam dyscolis (1 Petr 2, 18).

9. *Cum a facie Absalom fugeret David, dixit huic Ethaï:* Vivit Dominus,... quoniam in quocumque loco fueris domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus (2 Reg 15, 21).

10. *Agar fugienti dixit* Angelus: Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius (Gn 16, 9).

11. Domini, quod iustum est et aequum, servis praestate: scientes quod et vos Dominum habetis in coelo (Col 4, 1).

Silentium.

(Cf. Discretio. — Multiloquium. — Detractio n. 3. — Taciturnitas).

1. Atque utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes (Ib 13, 5).

2. Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio (Iac 1, 26).

3. Si quis in verbo non offendit: hic perfectus est vir, potest etiam freno circumducere totum corpus (Iac 3, 2).

4. Et lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quae maculat totum corpus (Iac 3, 6).

5. Omnis enim natura bestiarum, et volucrum, et serpentium, et ceterorum domantur, et domita sunt a natura humana (Iac 3, 7):

6. Linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero (Iac 3, 8).

7. In silentio et in spe erit fortitudo vestra (Is 30, 15. — Cf. Humilitas n. 4).

Simonia.

Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri (Act 8, 20).

Simplicitas.

(Cf. Modestia).

1. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter (Pro 10, 9).

2. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae (Mt 10, 16).

3. Quia abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio eius (Pro 3, 32).

4. Ecce vere Israelita, in quo dolus non est (Io 1, 47).

Sobrietas.

(Cf. Ebrietas.— Temperantia).

Sanitas est animae et corpori sobrius potus (Eccli 31, 37. — Cf. Tentatio n. 7).

Societas civilis.

1. *Pia.* Nos ergo in omni tempore sine intermissione in diebus solemnibus, et ceteris, quibus oportet, memores sumus vestri in sacrificiis, quae offerimus, et in observatio-

nibus, sicut fas est, et decet meminisse fratrum (1 Mach 12, 11).

2. *Sine Deo*. Palpabunt quasi in tenebris, et non in luce, et errare eos faciet quasi ebrios (Ib 12, 25. — Cf. Iesus Christus n. 183 sqq).

3. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his, qui sunt in circuitu nostro (Ps 43, 14).

4. Ubi non est gubernator, populus corruet: salus autem, ubi multa consilia (Pro 11, 14).

5. Propter peccata terrae multi principes eius (Pro 28, 2).

6. Speculatores eius caeci omnes, nescierunt universi (Is 56, 10).

7. Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, et conteram illud a facie terrae (Am 9, 8).

8. Regnantibus impiis ruinae hominum (Pro 28, 12). Ruina est homini devorare sanctos (Pro 20, 25).

9. Et sanabiles fecit nationes orbis terrarum (Sap 1, 14).

Societas secreta.

Et ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiae, aut numerum nominis eius (Apc 13, 17. — Cf. Verbum Dei n. 7).

Socii mali.

(Cf. Occasio).

Solitudo.

(Cf. Mundus. — Visitationes. — Meditatio).

1. Ibat post amatores suos, et mei obliviscebatur, dicit Dominus (Os 2, 13).

2. Propter hoc, ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem: et loquar ad cor eius (Os 2, 14).

3. Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam (Ps 54, 7)?

4. Ecce elongavi fugiens: et mansi in solitudine (Ps 54, 8).

Sollicitudo.

(Cf. Fiducia. — Providentia. — Pax).

1. Ne solliciti sitis animae vestrae quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca: et corpus plus quam vestimentum (Mt 6, 25)?

2. Quis autem vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum unum Mt 6, 27)?

3. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua (Mt 6, 34).

Spes.

(Cf. Fiducia).

1. In te Domine speravi, non confundar in aeternum (Ps 30, 2).

2. Respicite filii nationes hominum: et scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est (Eccli 2, 11).

3. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum (Thr 3, 25).

4. Spe enim salvi facti sumus (Rom 8, 24).

5. Et haec est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam aeternam (1 Io 2, 25).

6. Omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire (1 Tim 2, 4).

7. Ob quam causam etiam haec patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem (2 Tim 1, 12).

8. Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem: iste Deus meus, et glorificabo eum: Deus patris mei, et exaltabo eum (Ex 15, 2).

9. Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius (Ex 15, 3).
10. Et in multitudine gloriae tuae deposuisti adversarios tuos: misisti iram tuam, quae devoravit eos sicut stipulam (Ex 15, 7).
11. Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia (Ex 15, 11)?
12. Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti: et portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum (Ex 15, 13).
13. Non est Domino difficile salvare, vel in multis, vel in paucis (1 Reg 14, 6).
14. Etiam si occiderit me, in ipso sperabo (Ib 13, 15. — Cf. Conversio n. 5. — Coelum n. 26).
15. Dominus regit me, et nihil mihi deerit (Ps 22, 1).
16. Nam etsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es (Ps 22, 4).
17. Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae (Ps 22, 6).

Spiritus sanctus.

(Cf. Confirmatio).

1. Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum (Io 14, 16),
2. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum: quia apud vos manebit, et in vobis erit (Io 14, 17).
3. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia..... quaecumque dixero vobis (Io 14, 26).
4. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim

loquetur a semetipso: sed quaecumque audiet loquetur, et quae ventura sunt annuntiabit vobis (Io 16, 13).
5. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis (Io 16, 14).
6. Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum: et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis (Sap 1, 7. — Cf. Caritas n. 22 23).

Status.

(Cf. Vocatio).

1. Unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic (1 Cor 7, 7).
2. Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis (Eph 4, 1).

Stephanus.

1. Elegerunt Stephanum, virum plenum fide, et Spiritu sancto (Act 6, 5).
2. Stephanus autem plenus gratia, et fortitudine, faciebat prodigia, et signa magna in populo (Act 6, 8).
3. Et lapidabant Stephanum invocantem, et dicentem: Domine Iesu suscipe spiritum meum (Act 7, 59).
4. Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. Saulus autem erat consentiens neci eius (Act 7, 60).

Studium.

(Cf. Labor).

1. Veniens affer tecum, et libros, maxime autem membranas (2 Tim 4, 13).
2. Dum venio attende lectioni, exhortationi, et doctrinae (1 Tim 4, 13).

Superbia.

(Cf. Gloria vana. — Humilitas).

1. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio (Tob 4, 14).

2. Vir vanus in superbiam erigitur, et tamquam pullum onagri se liberum natum putat (Ib 11, 12. — Cf. Aeger n. 2).

3. Quid superbit terra et cinis (Eccli 10, 9)?

4. Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis (1 Cor 4, 7)?

5. Odibilis coram Deo est et hominibus superbia (Eccli 10, 7. — Cf. Iuvenes n. 11).

6. Initium superbiae hominis, apostatare a Deo (Eccli 10, 14).

7. Qui communicaverit superbo, induet superbiam (Eccli 13, 1).

8. Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum (Lc 16, 15. — Cf. Daemon n. 5 sqq).

9. Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui (Lc 1, 51).

10. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles (Lc 1, 52).

11. Inter superbos semper iurgia sunt (Pro 13, 10).

Superiores.

1. Rectorem te posuerunt: noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis (Eccli 32, 1).

2. Horrende et cito apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet (Sap 6, 6).

3. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur (Sap 6, 7).

4. Scitis quia principes gentium dominantur eorum: et qui maiores sunt, potestatem exercent in eos (Mt 20, 25).

5. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister (Mt 20, 26):

6. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus (Mt 20, 27).

7. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam, redemptionem pro multis (Mt 20, 28).

8. Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem (Hebr 13, 7).

9. Obedite praepositis vestris, et subiacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animibus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes: hoc enim non expedit vobis (Hebr 13, 17. — Cf. Parentes n. 2).

10. *Ait Moyses:* Nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum (Ex 16, 8. — Cf. Murmuratio. — Inferiores).

Superstitio.

1. Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum (1 Io 4, 1).

2. Anima, quae declinaverit ad magos et ariolos... interficiam illam de medio populi sui (Lv 20, 6).

3. *Ob consultum Beelzebub oraculum Ochoziae regi mortem praedixit Elias* (4 Reg 1, 3).

T

Taciturnitas.

(Cf. Discretio. — Multiloquium. — Silentium).

1. Sapientia absconsa et thesaurus invisus: quae utilitas in utrisque (Eccli 20, 32)?
2. Melior est qui celat insipientiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam (Eccli 20, 33).

Talenta.

1. Homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua (Mt 25, 14).
2. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, et profectus est statim (Mt 25, 15).
3. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque (Mt 25, 16).
4. Simliter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo (Mt 25, 17).
5. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui (Mt 25, 18).
6. Post multum vero temporis, venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis (Mt 25, 19).
7. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum (Mt 25, 20).
8. Ait illi dominus eius: Euge serve bone, et fidelis, quia super

pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui (Mt 25, 21).

9. Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum (Mt 25, 22).

10. Ait illi dominus eius: Euge serve bone, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui (Mt 25, 23).

11. Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, et congregas ubi non sparsisti (Mt 25, 24):
12. Et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra, ecce habes quod tuum est (Mt 25, 25).
13. Dicit ei: De ore tuo te iudico serve nequam: sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi (Lc 19, 22).
14. Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura (Mt 25, 27).
15. Tollite itaque ab eo talentum, et date ei, qui habet decem talenta (Mt 25, 28).
16. Omni enim habenti dabitur, et abundabit: ei autem, qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo (Mt 25, 29).
17. Et inutilem servum eiicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, et stridor dentium (Mt 25, 30).

Temperantia.

(Cf. Mortificatio n. 6 7. — Sobrietas. — Ebrietas).

1. Utere quasi homo frugi his, quae tibi apponuntur: ne, cum manducas multum, odio habearis (Eccli 31, 19).

2. Qui diligit epulas, in egestate erit... (Pro 21, 17).

3. Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas (Eccli 37, 32 33).

4. Cibus autem tuus, quo vesceris, erit in pondere (Ez 4, 10).

5. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adiiciet vitam (Eccli 37, 34).

6. Manducate quae apponuntur vobis (Lc 10, 8).

7. Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis huius vitae: et superveniat in vos repentina dies illa (Lc 21, 34).

8. Ne quis... profanus ut Esau: qui propter unam escam vendidit primitiva sua (Hebr 12, 16).

9. Quorum Deus venter est: et gloria in confusione ipsorum... (Phil 3, 19).

10. Initium vitae hominis aqua et panis (Eccli 29, 28).

11. Nos autem, qui Dei sumus, sobrii simus (1 Thess 5, 8).

Templum.

1. *Zelus decoris templi.* Si introiero in tabernaculum domus meae, si ascendero in lectum strati mei: Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem (Ps 131, 3 4):

2. Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob (Ps 131, 5).

3. Domine dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae (Ps 25, 8).

4. Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta (Agg 1, 4)?

5. Ascendite in montem, portate ligna, et aedificate domum: et acceptabilis mihi erit, et glorificabor, dicit Dominus (Agg 1, 8).

6. Quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam (Agg 1, 9).

7. Propter hoc super vos prohibiti sunt coeli ne darent rorem, et terra prohibita est ne daret germen suum (Agg 1, 10).

8. Laetatusque est populus, cum vota sponte promitterent: quia corde toto offerebant ea Domino: sed et David rex laetatus est gaudio magno (1 Par 29, 9).

9. Tua sunt omnia: et quae de manu tua accepimus dedimus tibi (1 Par 29, 14. — Cf. Eucharistia n. 48).

10. *Religio in templo.* Quam terribilis est... locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, et porta coeli (Gn 28, 17).

11. Ne appropries... huc: solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est (Ex 3, 5).

12. Pavete ad Sanctuarium meum. Ego Dominus (Lv 26, 2).

13. Ergone putandum est quod vere Deus habitet super terram? si enim coelum, et coeli coelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec, quam aedificavi (3 Reg 8, 27)?

14. Et timuit Deum tunc temporis, dicens: Quo modo possum ad me introducere arcam Dei (1 Par 13, 12)?

15. Mansit ergo arca Dei in domo Obededom tribus mensibus: et benedixit Dominus domui eius, et omnibus quae habebat (1 Par 13, 14).

16. Ego autem in multitudine misericordiae tuae, introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo (Ps 5, 8).

17. Oculi... mei erunt aperti, et aures meae erectae ad orationem eius, qui in loco isto oraverit. Elegi enim, et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus (2 Par 7, 15 16).

18. Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum (Mt 21, 13).

19. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis (Io 2, 16).

20. Recordati sunt vero discipuli eius quia scriptum est: Zelus domus tuae comedit me (Io 2, 17. — Cf. Anima n. 3).

21. *Templi dilectio.* Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum (Ps 83, 2):

22. Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum, et caro mea exsultaverunt in Deum vivum (Ps 83, 3).

23. Etenim passer invenit sibi domum: et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos. Altaria tua Domine virtutum: rex meus, et Deus meus (Ps 83, 4).

24. Beati, qui habitant in domo tua Domine: in saecula saeculorum laudabunt te (Ps 83, 5).

25. Quia melior est dies una in atriis tuis, super millia. Elegi abiectus esse in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum (Ps 83, 11. — Cf. Coelum n. 27).

26. Haec requies mea in saeculum saeculi: hic habitabo quoniam elegi eam (Ps 131, 14. — Cf. Anima n. 4).

27. Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (1 Cor 3, 17).

Tempus.

1. Ne dicas: Quid putas causae est quod priora tempora meliora fuere quam nunc sunt? stulta enim est huiuscemodi interrogatio (Eccle 7, 11).

2. Omnia tempus habent..... Tempus nascendi, et tempus moriendi. Tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est (Eccle 3, 1 2). Tempus flendi, et tempus ridendi. Tempus plangendi, et tempus saltandi (Eccle 3, 4). Tempus tacendi, et tempus loquendi. Tempus belli, et tempus pacis (Eccle 3, 7 8).

3. Fili conserva tempus, et devita a malo (Eccli 4, 23).

4. *(Deus)* nemini mandavit impie agere, et nemini dedit spatium peccandi (Eccli 15, 21).

5. Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te praetereat (Eccli 14, 14).

6. Numerum dierum, et tempus dedidit illi (Eccli 17, 3).

7. Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quaerens fructum in illa, et non invenit (Lc 13, 6).

8. Dixit autem ad cultorum vineae: Ecce anni tres sunt ex quo venio quaerens fructum in ficulnea hac, et non invenio: succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat (Lc 13, 7)?

9. At ille respondens, dicit illi: Domine dimitte illam: et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora (Lc 13, 8):

10. Et siquidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam (Lc 13, 9. — Cf. Virgines n. 3 sqq. — Talenta).

Tentatio.

1. Militia est vita hominis super terram: et

sicut dies mercenarii, dies eius (Ib 7, 1).

2. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem: sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in coelestibus (Eph 6, 12).

3. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium (Mt 10, 34).

4. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam (Mt 10, 35).

5. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae angelus satanae, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me (2 Cor 12, 7 8):

6. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi (2 Cor 12, 9).

7. Sobrii estote, et vigilate: quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret (1 Petr 5, 8):

8. Cui resistite fortes in fide (1 Petr 5, 9. — Cf. Oratio n. 1).

9. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare (Eph 6, 13).

10. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere (Eph 6, 16).

11. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam aeternam, in qua vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus (1 Tim 6, 12).

12. Nam et qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit (2 Tim 2, 5).

13. Hoc autem genus non eiicitur nisi per orationem, et ieiunium (Mt 17, 20).

14. Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat (Iac 1, 13).

15. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus (Iac 1, 14).

16. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad proelium et digitos meos ad bellum (Ps 143, 1).

17. Non est enim vestra pugna, sed Dei (2 Par 20, 15).

18. Dominus autem mecum est quasi bellator fortis: idcirco qui persequuntur me, cadent, et infirmi erunt: confundentur vehementer... (Ir 20, 11).

19. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere (1 Cor 10, 13).

20. Accesserunt ad eum discipuli eius, et suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus. Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis, modicae fidei? Tunc surgens, imperavit ventis, et mari, et facta est tranquillitas magna (Mt 8, 25 26).

21. Subditi ergo estote Deo, resistite autem diabolo, et fugiet a vobis (Iac 4, 7). Nolite locum dare diabolo (Eph 4, 27).

22. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores: et purificate corda, duplices animo (Iac 4, 8).

Tepor.

(Cf. Relapsus.— Peccatum veniale. — Acedia).

1. Currebatis bene: quis vos impedivit ve-

ritati non obedire (Gal 5, 7)?

2. Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum (Mt 24, 12).

3. Sed habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti (Apc 2, 4).

4. Scio opera tua: quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus esses, aut calidus (Apc 3, 15):

5. Sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo (Apc 3, 16).

6. Qui timet Deum, nihil negligit (Eccle 7, 19).

7. Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israël (Ps 124, 5).

8. Qui spernit modica, paulatim decidet (Eccli 19, 1).

9. Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus (Eph 5, 14. — Cf. Caritas n. 34 sqq).

Timor.

1. Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos (Ps 33, 12).

2. Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene (Tob 4, 23).

3. Timete Dominum omnes sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum (Ps 33, 10).

4. Initium sapientiae timor Domini (Ps 110, 10).

5. Ecce timor Domini, ipsa est sapientia: et recedere a malo, intelligentia (Ib 28, 28).

6. Timor Domini fons vitae, ut declinent a ruina mortis (Pro 14, 27).

7. Timor Domini expellit peccatum (Eccli 1, 27).

8. Qui timet Deum, faciet bona: et qui continens est iustitiae, apprehendet illam (Eccli 15, 1).

9. Melior est enim unus timens Deum, quam mille filii impii (Eccli 16, 3).

10. Quam magnus, qui invenit sapientiam et scientiam! sed non est super timentem Dominum (Eccli 25, 13). *(Domine,)* Qui autem timent te magni erunt apud te per omnia (Idt 16, 19).

11. Timor Dei super omnia se superposuit (Eccli 25, 14).

12. Timor Dei initium dilectionis eius (Eccli 25, 16).

13. Qui timet Dominum nihil trepidabit, et non pavebit: quoniam ipse est spes eius (Eccli 34, 16).

14. Beatus homo, qui semper est pavidus (Pro 28, 14).

15. Timor Domini delectabit cor, et dabit laetitiam, et gaudium, et longitudinem dierum (Eccli 1, 12).

16. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis (Ps 111, 1).

17. Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur (Ps 111, 2).

18. Gloria, et divitiae in domo eius: et iustitia eius manet in saeculum saeculi (Ps 111, 3).

19. Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius (Ps 127, 1).

20. Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet: et salvos faciet eos (Ps 144, 19).

21. Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, et mandata eius observa: hoc est enim omnis homo (Eccle 12, 13).

22. Confige timore tuo carnes meas: a iudiciis enim tuis timui (Ps 118, 120).

23. Timor non est in caritate: sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor

poenam habet; qui autem timet, non est perfectus in caritate (1 Io 4, 18).

24. *Quamvis Iob dicere potuerit:* Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea (Ib 27, 6), *(addidit tamen):* Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus eius ferre non potui (Ib 31, 23).

Tolerantismus.

Qui mordent dentiqus suis, et praedicant pacem (Mich 3, 5).

Traditio.

1. Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in prophetis vacabit (Eccli 39, 1).

2. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui (Pro 22, 28). *(Sensus accommodatitius).*

3. Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat (1 Io 2, 24).

4. Sunt autem et alia multa, quae fecit Iesus: quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros (Io 21, 25).

5. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam, et atramentum: spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui: ut gaudium vestrum plenum sit (2 Io 12).

Transfiguratio.

1. Assumpsit Iesus Petrum, et Iacobum, et Ioannem fratrem eius, et ducit illos in montem excelsum seorsum (Mt 17, 1):

2. Et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix (Mt 17, 2).

3. Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes (Mt 17, 3).

4. Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliae unum (Mt 17, 4).

5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite (Mt 17, 5).

Trinitas.

1. Apparuit autem ei *(Abrahae)* Dominus in convalle Mambre.... (Gn 18, 1).

2. Apparuerunt ei *(Abrahae)* tres viri stantes prope eum: quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, et adoravit in terram (Gn 18, 2. — Cf. Adoratio).

3. *In baptismo Christi* descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: et vox *Patris intonuit:* Tu es Filius meus dilectus (Lc 3, 22. — Cf. Baptismus).

4. Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum, et Spiritus sanctus: et hi tres unum sunt (1 Io 5, 7).

Tristitia.

(Cf. Gaudium. — Lacrimae. — Pax.)

1. Sicut tinea vestimento, et vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi (Pro 25, 20).

2. Multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illa (Eccli 30, 25).

3. Ne dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam a te: et memento novissimorum (Eccli 38, 21).

4. Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur: saeculi autem tristitia mortem operat (2 Cor 7, 10).

5. Tristatur aliquis vestrum? oret: Aequo animo est? psallat. (Iac 5, 13).



U

Unctio extrema.

1. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini (Iac 5, 14):

2. Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei (Iac 5, 15).

3. Et ungebant oleo multos aegros, et sanabant (Mc 6, 13).

Unio cum Deo.

(Cf. Vita spiritualis).

1. Accedite ad eum, et illuminamini: et facies vestrae non confundentur (Ps 33, 6).

2. Delectare in Domino: et dabit tibi petitiones cordis tui (Ps 36, 4).

3. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus (Ps 41, 2).

4. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei (Ps 41, 3)?

5. Anima mea desideravit te in nocte: sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te. Cum feceris iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores orbis (Is 26, 9).

6. Fuerunt mihi lacrimae meae panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus (Ps 41, 4)?

7. Quid enim mihi est in coelo? et a te quid volui super terram (Ps 72, 25)?

8. Mihi autem adhaerere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam (Ps 72, 28. — Cf. Mors n. 45).

9. Libera me Domine, et pone me iuxta te, et cuiusvis manus pugnet contra me (Ib 17, 3).

10. Frustra autem iacitur rete ante oculos pennatorum (Pro 1, 17).

11. Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quae sunt inter ligna silvarum (Ez 15, 2)?

12. Numquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcumque vas (Ez 15, 3)?

13. Ecce igni datum est in escam: utramque partem eius consumpsit ignis, et medietas eius redacta est in favillam: numquid utile erit ad opus (Ez 15, 4)?

14. Etiam cum esset integrum, non erat aptum ad opus: quanto magis cum illud ignis devoraverit, et combusserit, nihil ex eo fiet operis? (Ez 15, 5. — Cf. Gratia n. 52 sqq).

Usura.

1. Non foenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem (Dt 23, 19).

2. Mutuum date, nihil inde sperantes: et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi (Lc 6, 35).

Uxores.

(Cf. *Mulier*).

1. Mulieri quoque dixit: Multiplicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos: in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui (Gn 3, 16).

2. Monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, et seipsam irreprehensibilem exhibere (Tob 10, 13. — Cf. Matrimonium n. 6 sqq).

V

Vanitas.

1. Vanitas vanitatum, et omnia vanitas (Eccle 1, 2. — Cf. Mors n. 13 sqq).

2. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur (Eccle 1, 8).

3. Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est (Eccle 1, 9).

4. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est, iam enim praecessit in saeculis, quae fuerunt ante nos (Eccle 1, 10).

5. Vidi cuncta, quae fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus (Eccle 1, 14).

6. Dixi ego in corde meo: Vadam, et affluam deliciis, et fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas (Eccle 2, 1. — Cf. Iudicium generale n. 88 sqq).

7. Et idcirco taeduit me vitae meae, videntem mala universa esse sub sole, et cuncta vanitatem et afffictionem spiritus (Eccle 2, 17).

8. *Universum orbem Alexander subegerat.* Et post haec decidit in lectum, et cognovit quia moreretur (1 Mach 1, 6).

9. Fallax gratia, et vana est pulchritudo (Pro 31, 30).

10. Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiae et gloriae meae, quod est super caput meum in diebus ostentationis meae (Est 14, 16).

11. Averte oculos meos ne videant vanitatem (Ps 118, 37. — Cf. Creatura n. 1).

Verbum Dei.

(Cf. Praedicatio).

1. Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me (Io 7, 16).
2. Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar (Io 7, 17).
3. *Necessitas praedicandi.* Egeni, et pauperes quaerunt aquas, et non sunt: lingua eorum siti aruit (Is 41, 17).
4. Coelum, et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt (Mt 24, 35. — Cf. Iesus Christus n. 61 sqq).
5. Galeam salutis assumite: et gladium spiritus (quod est verbum Dei) (Eph 6, 17).
6. *Necessitas audiendi.* Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei (Mt 4, 4).
7. Omnis enim, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius (Io 3, 20):
8. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta (Io 3, 21).
9. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam, et in iudicium non venit, sed transiit a morte in vitam (Io 5, 24).
10. Scio quia filii Abrahae estis: sed quaeritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis (Io 8, 37).
11. Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum (Io 8. 51).
12. Sed vos non creditis, quia non estis ex

ovibus meis (Io 10, 26).
13. Oves meae vocem meam audiunt: et ego cognosco eas, et sequuntur me (Io 10, 27):
14. Et ego vitam aeternam do eis: et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea (Io 10, 28).
15. Disputante autem illo de iustitia, et castitate, et de iudicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accersam te (Act 24, 25).
16. Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, et spiritum erroris (1 Io 4, 6).
17. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis (Io 8, 47).
18. *Utilitas.* Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute multa (Ps 67, 12).
19. Virtus... Dei est in salutem omni credenti (Rom 1, 16).
20. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus: et quasi malleus conterens petram (Ir 23, 29)?
21. Et quomodo descendit imber, et nix de coelo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti (Is 55, 10):
22. Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his, ad quae misi illud (Is 55, 11).
23. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et mittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquae, sed audiendi verbum Domini (Am 8, 11).
24. Lucerna pedibus meis verbum tuum, et

lumen semitis meis (Ps 118, 105).

25. Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis (Hebr 4, 12).

26. *Esdras legit librum legis coram populo de mane ad meridiem, et omnes oculi erecti erant ad librum, et flebat omnis populus* (2 Esd 8).

27. Pervenit verbum ad regem Ninive *(per Ionam prophetam):* et surrexit de solio suo, et abiecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere (Ion 3, 6).

28. *Consolatio.*—Cf. Mandata Dei n. 31. — Scriptura n. 5).

29. *Audiendi modus.* Locutus est eis multa nis parabolis, dicens: Ecce exiit qui seminat, seminare (Mt 13, 3).

30. Et dum seminat, quaedam ceciderunt secus viam, et venerunt volucres coeli, et comederunt ea (Mt 13, 4).

31. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam: et continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terrae (Mt 13, 5).

32. Sole autem orto aestuaverunt: et quia non habebant radicem, aruerunt (Mt 13, 6).

33. Alia autem ceciderunt in spinas: et creverunt spinae, et suffocaverunt ea (Mt 13, 7).

34. Alia autem ceciderunt in terram bonam: et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum (Mt 13, 8).

35. Qui habet aures audiendi, audiat (Mt 13, 9).

36. Vos ergo audite parabolam seminantis. Omnis, qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus, et

rapit quod seminatum est in corde eius: hic est qui secus viam seminatus est (Mt 13, 18 19).

37. Qui autem super petrosa seminatus est, hic est, qui verbum audit, et continuo cum gaudio accipit illud (Mt 13, 20):

38. Non habet autem in se radicem, sed est temporalis: facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizatur (Mt 13, 21).

39. Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, et sollicitudo saeculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur (Mt 13, 22).

40. Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, et intelligit, et fructum affert, et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum (Mt 13, 23).

41. Factum est autem, cum haec diceret: extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti (Lc 11, 27).

42. At ille dixit: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud (Lc 11, 28).

43. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur (Rom 2, 13).

44. Propter quod abiicientes omnem immunditiam, et abundantiam malitiae, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras (Iac 1, 21).

45. Estote autem factores verbi, et non auditores tantum: fallentes vosmetipsos (Iac 1, 22).

46. Quia si quis auditor est verbi, et non factor: hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo (Iac 1, 23):

47. Consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit (Iac 1, 24. — Cf. Concionator n. 7 sqq).

Verba hominis.

(Cf. Conversatio. — Sermo).

Veritas.

1. Respondit Balaam: Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus, vel minus loquar (Nm 22,18).

2. Veritatem tantum, et pacem diligite (Za 8, 19).

3. Ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati (Io 18, 37).

4. Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos (Io 8, 32).

Vicinus.

Melior est vicinus iuxta quam frater procul (Pro 27, 10).

Viduitas.

1. Quod si dormierit vir eius, liberata est: cui vult nubat: tantum in Domino (1 Cor 7, 39).

2. Beatior autem erit si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam (1 Cor 7, 40. — Cf. Coelibatus n. 5).

3. Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet: discat primum domum suam regere, et mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo (1 Tim 5, 4).

4. Quae autem vere vidua est, et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus, et orationibus nocte ac die (1 Tim 5, 5).

5. Nam quae in deliciis est, vivens mortua est (1 Tim 5, 6).

6. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quae fuerit unius viri uxor (1 Tim 5, 9),

7. In operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est (1 Tim 5, 10).

8. Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia (1 Tim 5, 14).

9. *(Anna)* non discedebat de templo, ieiuniis, et obsecrationibus serviens nocte, ac die (Lc 2, 37).

Vigilantia.

1. *Necessitas.* Ubi non est sepes, diripietur possessio (Eccli 36, 27. — Cf. Cor n. 3. — Occasio).

2. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate (Mc 13, 37). Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat (1 Cor 10, 12).

3. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis (2 Cor 4, 7).

4. Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis: non quasi insipientes, sed ut sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt (Eph 5, 15 16. — Cf. Creatura n. 2).

5. Cum metu et tremore vestram salutem operamini (Phil 2, 12. — Cf. Tentatio n. 7).

6. *Utilitas.* Quis, putas, est fidelis servus, et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore (Mt 24, 45)?

7. Beatus ille servus, quem cum venerit dominus eius, invenerit sic facientem (Mt 24, 46).

8. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum (Mt 24, 47).

9. Vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis: ut, cum venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei (Lc 12, 36).

10. Beati servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod praecinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis (Lc 12, 37. — Cf. Iudicium generale n. 27 sq, 43).

11. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti (Ib 9, 28).

12. Pepigi foedus cum oculis meis ut ne cogitarem quidem de virgine (Ib 31, 1. — Cf. Zelus n. 27).

13. Qui autem cavet laqueos, securus erit (Pro 11, 15).

Vindicta.

(Cf. Inimici. — Condonatio).

1. Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit (Eccli 28, 1).

2. Relinque proximo tuo nocenti te: et tunc deprecanti tibi peccata solventur (Eccli 28, 2).

3. In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur (Eccli 28, 4)?

4. Memento novissimorum, et desine inimicari (Eccli 28, 6).

5. Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, et dentem pro dente (Mt 5, 38).

6. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram (Mt 5, 39):

7. Et ei, qui vult tecum iudicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium (Mt 5, 40);

8. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo (Mt 5, 41).

Vir.

(Cf. Homo).

1. Viri diligite uxores vestras (Eph 5, 25).

2. Quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem, tamquam et cohaeredibus gratiae vitae: ut non impediantur orationes vestrae (1 Petr 3, 7. — Cf. Matrimonium n. 2 sqq).

Virgines.

(Cf. Matrimonium).

1. Et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra (Apc 14, 3).

2. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiae Deo, et Agno (Apc 14, 4).

3. Tunc simile erit regnum coelorum decem virginibus: quae accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsae (Mt 25, 1).

4. Quinque autem ex eis erant fatuae, et quinque prudentes: Sed quinque fatuae, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum (Mt 25, 2 3):

5. Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus (Mt 25, 4).

6. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt (Mt 25, 5. — Cf. Vanitas n. 10).

7. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei (Mt 25, 6).

8. Tunc surrexerunt omnes virgines illae, et

ornaverunt lampades suas (Mt 25, 7).

9. Fatuae autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostrae exstinguuntur (Mt 25, 8).

10. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis (Mt 25, 9).

11. Dum autem irent emere, venit sponsus: et quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est ianua (Mt 25, 10).

12. Novissime vero veniunt et reliquae virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis (Mt 25, 11).

13. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos (Mt 25, 12).

Virginitas.

1. De virginibus autem praeceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis (1 Cor 7, 25).

2. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse (1 Cor 7, 26).

3. Alligatus es uxori? noli quaerere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quaerere uxorem (1 Cor 7, 27).

4. Si autem acceperis uxorem: non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco (1 Cor 7, 28. — Cf. Abnegatio n. 11).

5. Et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam gaudentes: et qui emunt, tamquam non possidentes (1 Cor 7, 30):

6. Et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: praeterit enim figura huius mundi (1 Cor 7, 31).

7. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo (1 Cor 7, 32).

8. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est (1 Cor 7, 33).

9. Et mulier innupta, et virgo cogitat quae Domini sunt ut sit sancta corpore, et spiritu. Quae autem nupta est cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro (1 Cor 7, 34).

10. Porro hoc ad utilitatem vestram dico: non ut laqueum vobis iniiciam, sed ad id, quod honestum est, et quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi (1 Cor 7, 35).

11. Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, et ita oportet fieri: quod vult faciat: non peccat, si nubat (1 Cor 7, 36).

12. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis, et hoc iudicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: et qui non iungit, melius facit (1 Cor 7, 37 38. — Cf. Castitas. — Coelibatus).

13. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in coelo (Mt 22, 30).

Virtutes.

1. De cetero fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate (Phil 4, 8).

2. Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam (Col 3, 12).

Visio.

(Cf. Apparitiones).

1. Prophetias nolite spernere (1 Thess 5, 20).

2. Omnia autem probate: quod bonum est tenete (1 Thess 5, 21).

Visitatio Ss. Sacramenti.

1. Accedite ad eum, et illuminamini (Ps 33, 6).

2. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis (Iac 4, 8).

3. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem (Rom 10, 21).

4. Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos (Mt 11, 28).

Visitatio B. M. V.

1. Exsurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione, in civitatem Iuda (Lc 1, 39).

2. Et intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth (Lc 1, 40).

4. Et exclamavit voce magna, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui (Lc 1, 42).

5. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me (Lc 1, 43)?

6. Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo (Lc 1, 44):

7. Et beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt tibi a Domino (Lc 1, 45).

8. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum (Lc 1, 46).

9. Mansit autem Maria cum illa, quasi mensibus tribus: et reversa est in domum suam (Lc 1, 56).

Visitationes.

(Cf. Aegrotatio. — Compassio).

1. Pes fatui facilis in domum proximi (Eccli 21, 25).

2. Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando satiatus oderit te (Pro 25, 17).

3. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit (Eccle 7, 3).

4. Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis (Eccli 7, 39).

5. Desidero enim videre vos: ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis ad confirmandos vos: Id est, simul consolari in vobis per eam, quae invicem est, fidem vestram, atque meam (Rom 1, 11 12).

Vita.

(Cf. Mors).

1. Primam vocem similem omnibus emisi plorans (Sap 7, 3. — Cf. Homo n. 14).

2. Generatio carnis et sanguinis, alia finitur, et alia nascitur (Eccli 14, 19).

3. Numerus dierum hominum ut multum centum anni: quasi gutta aquae maris deputati sunt: et sicut calculus arenae, sic exigui anni in die aevi (Eccli 18, 8).

4. Propter hoc patiens est Deus in illis, et effundit super eos misericordiam suam (Eccli 18, 9).

5. Ignoratis quid erit in crastino (Iac 4, 14).

6. Quae est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, et

deinceps exterminabitur; pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit. Et: Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud (Iac 4, 15. — Cf. Iudicium generale n. 88 sqq).

7. Peregrini enim sumus coram te, et advenae, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora (1 Par 29, 15).

8. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quae praeteriit, et custodia in nocte (Ps 89, 4),

9. Quae pro nihilo habentur, eorum anni erunt (Ps 89, 5).

10. Mane sicut herba transeat, mane floreat, et transeat: vespere decidat, induret, et arescat (Ps 89, 6).

11. Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni.

Si autem in potentatibus, octoginta anni: et amplius eorum, labor et dolor (Ps 89, 10).

12. Dies peregrinationis meae centum triginta annorum sunt, parvi et mali, et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt (Gn 47, 9).

13. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis (Ib 14, 1).

14. Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe (Ib 7, 6).

15. Breves dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius, qui praeteriri non poterunt (Ib 14, 5. — Cf. Tentatio n. 1).

16. Ecce mensurabiles posuisti dies meos: et substantia mea tamquam nihilum ante te (Ps 38, 6).

17. Paucitatem dierum meorum nuntia mihi (Ps 101, 24).

18. Senectus enim venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata:

cani autem sunt sensus hominis, — Et aetas senectutis vita immaculata (Sap 4, 8 9).

19. Condemnat autem iustus mortuus vivos impios, et iuventus celerius consummata, longam vitam iniusti (Sap 4, 16).

Vita spiritualis.

(Cf. Unio cum Deo).

1. Ecce enim regnum Dei intra vos est (Lc 17, 21).

2. Qui habet aures audiendi, audiat (Mt 11, 15).

3. In illo tempore respondens Iesus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis (Mt 11, 25).

4. Dominus in medio tui, non timebis malum ultra (Soph 3, 15).

5. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet: hic non est eius (Rom 8, 9).

6. Quod si Spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis (Rom 8, 11).

7. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei (Rom 8, 14).

8. Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis (2 Cor 6, 17).

9. Erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et saecularia desideria: sobrie, et iuste, et pie vivamus in hoc saeculo (Tit 2, 12),

10. Expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Iesu Christi (Tit 2, 13).

11. Induimini Dominum Iesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis (Rom 13, 14).

12. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis (Gal 3, 27. — Cf. Mortificatio n. 21 22).

13. Vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus (Gal 2, 20).

14. Quod autem nunc vivo in carne: in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me (Gal 2, 20).

15. Qui autem adhaeret Domino, unus spiritus est (1 Cor 6, 17. — Cf. Zelus n. 21 sqq).

Vocatio.

Vocatio ad fidem, ad vitam religiosam et apostolatum (Cf. Status).

1. Beatus, quem elegisti, et assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis Ps 64, 5).

2. Homo quidam fecit coenam magnam, et vocavit multos (Lc 14, 16).

3. Et misit servum suum hora coenae dicere invitatis ut venirent, quia iam parata sunt omnia (Lc 14, 17).

4. Et coeperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam: rogo te habe me excusatum (Lc 14, 18).

5. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, et eo probare illa: rogo te habe me excusatum (Lc 14, 19).

6. Et alius dixit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire (Lc 14, 20).

7. Videte enim vocationem vestram fratres (1 Cor 1, 26).

8. De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum (1 Petr 2, 9).

9. Quapropter fratres magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis: haec enim facientes non peccabitis aliquando (2 Petr 1, 10).

10. Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrabo tibi (Gn 12, 1. — Cf. Maria n. 9).

11. De post foetantes accepit eum,— Pascere Iacob servum suum et Israël haereditatem suam (Ps 77, 70 71):

12. Et pavit eos in innocentia cordis sui: et in intellectibus manuum suarum deduxit eos (Ps 77, 72).

13. Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem (Ps 112, 7):

14. Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui (Ps 112, 8).

15. Priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te (Ir 1, 5).

16. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni (Cant 2, 10).

17. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis: et fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis (Io 15, 16).

18. Et ait illis: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum (Mt 4, 19 20. — Cf. Abnegatio n. 3 4. — Religiosus n. 1 2).

19. Alius autem de discipulis eius ait illi: Domine, permitte me primum ire, et sepelire patrem meum (Mt 8, 21).

20. Iesus autem ait illi: Sequere me, et dimitte mortuos sepelire

mortuos suos (Mt 8, 22).

21. Videns autem turbas, misertus est eis: quia erant vexati, et iacentes sicut oves non habentes pastorem (Mt 9, 36).

22. Dico vobis: Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albae sunt iam ad messem (Io 4, 35).

23. Messis quidem multa, operarii autem pauci.

Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam (Mt 9, 37 38).

24. Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam aeternam: ut, et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit (Io 4, 36).

25. Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae, et vocavit per gratiam suam (Gal 1, 15),

26. ....Continuo non acquievi carni et sanguini (Gal 1, 16).

27. Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam (Ps 142, 8).

28. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu (Ps 142, 10).

29. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat (1 Cor 7, 20).

Voluntas Dei.

(Cf. Conformari voluntati divinae).

1. Ut probetis quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta (Rom 12, 2).

2. Quoniam ira in indignatione eius: et vita in voluntate eius (Ps 29, 6). Qui... facit voluntatem Dei, manet in aeternum (1 Io 2, 17).

3. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum (Mt 7, 21).

4. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo... virtutes multas fecimus (Mt 7, 22)?

5. Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem (Mt 7, 23).

6. At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei (Mt 12, 48)?

7. Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, et fratres mei (Mt 12, 49).

8. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est: ipse meus frater, et soror, et mater est (Mt 12, 50).

9. Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me (Io 6, 38).

10. Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Dicebant ergo discipuli ad invicem: Numquid aliquis attulit ei manducare (Io 4, 32 33)?

11. Dicit eis Iesus: Meus cibus est ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius (Io 4, 34).

12. Et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum: quia ego quae placita sunt ei, facio semper (Io 8, 29).

13. Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei (Ps 39, 9).

14. Ita pater: quoniam sic fuit placitum ante te (Mt 11, 26).

Voluptas.

(Cf. Mortificatio).

1. Est via quae videtur homini recta: et novissima eius ducunt ad mortem (Pro 16, 25).

2. Vae vobis, qui saturati estis: quia esurietis. Vae vobis, qui

ridetis nunc: quia lugebitis et flebitis (Lc 6, 25).

Votum.

1. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissio: sed quodcumque voveris, redde (Eccle 5, 3):

2. Multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere (Eccle 5, 4. — Cf. Mendacium n. 2).

Vota religiosa.

(Cf. Paupertas. — Regulae. — Religiosus).

1. Iniice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum (Eccli 6, 25):

2. Subiice humerum tuum, et porta illam, et ne acedieris vinculis eius (Eccli 6, 26).

3. Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, et bases virtutis, et torques illius in stolam gloriae (Eccli 6, 30):

4. Decor enim vitae est in illa, et vincula illius alligatura salutaris (Eccli 6, 31).

5. Ruina est homini... post vota retractare (Pro 20, 25).

Z

Zelus.

1. *Necessitas.* Et ait Dominus ad Caïn: Ubi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio: Num custos fratris mei sum ego (Gn 4, 9)?

2. Mandavit illis unicuique de proximo suo (Eccli 17, 12).

3. Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur (Lc 12, 49? — Cf. Caritas n. 105).

4. *Merces.* Qui converti fecerit peccatorem ab errore vitae suae, salvabit animam eius a morte, et operiet multitudinem peccatorum (Iac 5, 20).

5. *Exempla.* Dixit autem rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, cetera tolle tibi (Gn 14, 21. — *Sensus accommodatitius).*

6. *(Ioseph)* respondit: Fratres meos quaero, indica mihi ubi pascant greges (Gn 37, 16. — Cf. Salus n. 1).

7. *(Moyses)* Reversusque ad Dominum, ait: Obsecro, peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam (Ex 32, 31),

8. Aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti (Ex 32, 32).

9. Expedit enim mihi mori magis, quam vivere (Tob 3, 6).

10. Oculus fui caeco, et pes claudo (Ib 29, 15. — Cf. Sacerdos n. 42 45).

11. Pater eram pauperum (Ib 29, 16).

12. Zelus domus tuae comedit me: et oppro-

bria exprobantium tibi, ceciderunt super me (Ps 68, 10).

13. Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam (Ps 118, 53).

14. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam (Ps 118, 136).

15. Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei (Ps 118, 139).

16. Vidi praevaricantes, et tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt (Ps 118, 158).

17. Videte quoniam non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem (Eccli 24, 47).

18. *Daemoniaco sanato dixit Iesus:* Redi in domum tuam, et narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per universam civitatem, praedicans quanta illi fecisset Iesus (Lc 8, 39).

19. Erat ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta (Io 4, 6).

20. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere (Io 4, 7).

21. Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam (Io 4, 10).

22. Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum (Io 4, 13):

23. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam (Io 4, 14).

24. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam: neque veniam huc haurire (Io 4, 15).

25. Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adora-

bunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quaerit, qui adorent eum (Io 4, 23).

26. Spiritus est Deus: et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare (Io 4, 24).

27. Et continuo venerunt discipuli eius: et mirabuntur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quaeris, aut quid loqueris cum ea (Io 4, 27)?

28. Reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit in civitatem, et dicit... Venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia quaecumque feci (Io 4, 28 29).

29. Multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris (Io 4, 39).

30. Ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam (Io 17, 4).

31. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dedisti: et sermonem tuum servaverunt (Io 17, 6).

32. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi: et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur (Io 17, 12).

33. Quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo (Rom 9, 2) *aiebat Paulus.*

34. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem (Rom 9, 3).

35. Æmulor enim vos Dei aemulatione. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo (2 Cor 11, 2).

36. Non enim quaero quae vestra sunt, sed vos (2 Cor 12, 14).

37. Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse

pro animabus vestris: licet plus vos diligens, minus diligar (2 Cor 12, 15).

38. Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quae est in Christo Iesu, cum gloria coelesti (2 Tim 2, 10).

39. Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei (1 Petr 4, 10. — Cf. Paulus n. 29 sqq. — Parentes n. 8. — Fides n. 63 sqq).

40. *Praxis Zeli: Monita.* (Cf. Taciturnitas). Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos (1 Cor 9, 22).

41. Ostium enim mihi apertum est magnum, et evidens: et adversarii multi (1 Cor 16, 9).

42. *(Tobias)* pergebat ergo ad omnes, qui erant in captivitate, et monita salutis dabat eis (Tob 1, 15) *et videns malum aiebat:*

43. Et nunc Domine secundum voluntatem tuam fac mecum, et praecipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis, quam vivere (Tob 3, 6).

44. *Oratio.* Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis, et docebo vos viam bonam et rectam *aiebat Samuel* (1 Reg 12, 23. — Cf. Peccatum n. 39).

45. Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris: nolite gloriari (Iac 3, 14).

Index

Prooemium 1
Abbreviationes 6

A

Abnegatio 7
Abstinentia 8
Acedia 9
Actiones 9
Adolescentia *vide* Iuvenes.
Adoratio 10
Adulatio 10
Adulterium 10
Adventus 11
Aegrotatio 11
Affectio carnalis . . 12
Agricultura 12
Amabilitas 12
Ambitio 12
Amicitia 13
Amicitia Dei *vide* Gratiae status.
Amicitia mundi *vide* Mundus.
Amor Dei et proximi *vide* Caritas.
Amor proprius *vide* Abnegatio.
Angeli 14
Anima 15
Annuntiatio 16
Apparitiones 17
Arrogantia *vide* Superbia.
Ascensio 17
Assumptio *vide* Maria n. 9.
Avaritia 18

B

Baptismus 20
Beatitudo 21
Bella *vide* Calamitates — Flagella Dei — Peccatum n. 18 26.
Blasphemia 21
Bona ecclesiastica 23
Boni 23

C

Caecitas *vide* Indurati.
Caeremoniae *vide* Sacerdos.
Calamitates 24
Calumnia *vide* Detractio.
Cantus 24
Castitas 24
Catechismus 26
Caritas Dei erga homines 26
Caritas erga Deum 27
Caritas erga proximum 30
Choreae 36
Christus *vide* Iesus Christus.
Circumcisio *vide* Nomen Iesu.
Clerici 36
Coelibatus 37
Coelum 37
Cogitationes 43
Communio *vide* Eucharistia.
Communio generalis *vide* Pascha.
Compassio *vide* Caritas — Inimici.
Conceptio immaculata *vide* Maria.
Concionator 43
Concordia 46
Concupiscentia . . . 46
Condonatio iniuriarum 48
Confessio 49
Confidentia *vide* Fiducia.
Confirmatio 50
Conformari voluntati divinae . . . 50
Conscientia 51
Consilia 51
Consiliarii 52
Consolatio 53
Constantia 54
Consuetudo 54
Contemptus 54
Contritio 54
Conversatio 55
Conversio 56
Cor 59
Cor Iesu 60
Correctio 60
Creatio 61
Creatura 61
Credulitas 61
Crux Christi 62
Crux 62
Cultus Dei 63
Curiositas 63

D

Daemon 64
Debita 65

Desideria 65
Desperatio 66
Detractio 66
Deus 67
Devotio 75
Directio 76
Director animarum 76
Discordia 77
Discretio 77
Divites 78
Divitiae 79
Docilitas 80
Doctores 81
Doctrina bona *vide* Catechismus.
Doctrina perversa . 81
Domini 82
Dominica 83
Duritia cordis *vide* Indurati.

E

Ebrietas 84
Ecclesia *vide* Templum.
Ecclesia Christi . . 84
Educatio *vide* Parentes.
Electi 87
Eleemosyna 88
Epiphania 90
Episcopatus. — Episcopus 91
Eucharistia 91
Evangelistae *vide* Fides n. 9 sqq.
Evangelium *vide* Iesus Christus — Doctrina — Verbum Dei.
Examen conscientiae 96
Exemplum 96
Exercitia spiritualia 97
Experientia 98

F

Fama 99
Fervor 99
Fidelitas 99
Fides 99
Fiducia 104
Filii 108
Filii Dei 110
Finis hominis . . . 110
Flagella Dei *vide* Calamitates.
Fornicatio *vide* Adulterium — Luxuria.
Fortitudo 110
Fratres 111
Fuga in Aegyptum 111
Fur 112
Furtum 112

G

Gaudium 113
Generositas 113
Gloria Dei 113
Gloria vana 113
Gratia 115
Gratitudo 120
Gula *vide* Temperantia.

H

Haereses 122
Heri *vide* Domini.
Homicidium 122
Homo 122
Hospitalitas 124
Humiliatio 124
Humilitas 124
Hypocrita 126

I

Iactantia 128
Idololatria 128
Ieiunium *vide* Quadragesima.
Iesus Christus . . 129
Ignavia 146
Ignorantia 146
Illusio 147
Immortalitas . . . 148
Impii 148
Impudicitia *vide* Luxuria.
Incarnatio 149
Incredulitas 150
Indifferentia 151
Indulgentia erga infirmitates . . . 151
Indurati 151
Infallibilitas *vide* Pontifex.
Infans 152
Inferiores 153
Infernus 153
Ingratitudo erga Deum 154
Inimici 155
Iniuria *vide* Condonatio.
Iniustitia *vide* Furtum et Fur.
Innocentes 156
Inspiratio 156
Instructio religiosa *vide* Fides — Catechismus.
Intentio 157
Interpretatio 157
Invidia 157
Invitatio 158
Ioannes Baptista . 158
Ioannes Evangelista 160
Ioseph 160
Ira. — Iracundia . 160
Iudicia hominum 161

Iudicia temeraria 161
Iudicium generale 162
Iudicium particulare 169
Iuramentum 170
Iustificatio *vide* Iesus Christus.
Iustitia Dei *vide* Deus.
Iustus 170
Iuvenes 171

L

Labor 174
Lacrimae 176
Latro bonus *vide* Passio n. 141.
Laus 177
Lectio 177
Legislatores 177
Lex vetus 177
Libertas 177
Libri mali 178
Lingua 178
Lites 178
Luxuria 179

M

Magdalena 181
Mali 181
Malum 183
Mandata divina . . 184
Mansuetudo 187
Maria 188
Martyres 191
Mater 191
Matrimonium . . . 192
Mediator *vide* Iesus Christus n. 112.
Medicus 193
Meditatio 193
Memoriale missionum 195
Mendacium 195
Mercenarius *vide* Pastor bonus.
Merita 195
Messias 195
Milites 196
Miraculum 197
Misericordia 197
Misericordia hominis 200
Missa 200
Missionarius . . . 200
Missiones 203
Modestia 204
Mors 205
Mortificatio 208
Mulier 210
Multiloquium . . . 213
Mundus 214
Munera 217
Murmuratio 217
Musica 217
Mysteria 217

N

Nativitas Christi *vide* Iesus Christus n. 18 sqq.
Nativitas Mariae *vide* Maria n. 8.
Negligentia *vide* Indifferentia — Pigritia.
Negotiatio 218
Nomen Dei *vide* Deus n. 11 sqq — Blasphemia.
Nomen Iesu 218
Nuptiae 218

O

Obedientia 220
Obsequium Dei *vide* Deus n. 89 sqq.
Obstinatio 221
Occasio peccati . . 221
Odium 222
Œconomia 223
Opera bona 223
Opera Dei *vide* Creatio.
Opportunitas . . . 224
Oratio 224
Ordo 231
Orphani 231
Otiositas 231

P

Panegyrica oratio 232
Parentes 232
Pascha 234
Passio D. N. I. C. 236
Pastor bonus . . . 250
Patientia 252
Paulus 252
Pauperes 255
Paupertas 255
Pax 256
Peccator 258
Peccatum originale 258
Peccatum mortale 259
Peccatum veniale 264
Pentecostes 264
Peregrinatio 265
Perfectio *vide* Profectus spiritualis — Sanctitas.
Persecutio 265
Persecutor 267
Perseverantia . . . 268
Petrus 270
Philosophi 270
Pietas 271
Pigritia 271

Poena *vide* Flagella Dei — Peccatum n. 18.
Poenitentia (virtus) 271
Poenitentia (Sacramentum) . . 273
Pontifex 274
Potentes 274
Potestas 274
Praedestinatio . . . 275
Praedicatio 275
Praesentatio *vide* Iesus Christus n. 30 — Maria n. 9.
Praesentia Dei . . 275
Praesentia realis *vide* Eucharistia n. 20.
Praesumptio 278
Probatio 278
Prodigus filius . . 281
Proditio Iudae . . 283
Profectus spiritualis 283
Professio religiosa *vide* Pascha n. 1 — Vota — Religiosus 284
Promissiones Baptismi 284
Prophetia 285
Propinqui 285
Propositum 285
Providentia 285
Prudentia 287
Purgatorium 288

Q

Quadragesima . . 289
Quies *vide* Pax.

R

Regnum Dei 290
Regulae religiosae 290
Relapsus 290
Religio 291
Religiosus 292
Reliquae *vide* Sancti n. 7 8 9
Remorsus 293
Reprobus 293
Resignatio *vide* Conformari.
Respectus humanus 294
Restitutio 295
Resurectio I. C. *vide* Pascha.
Resurectio mortuorum 295
Revelatio 298
Risus 299

S

Sacerdos 300
Sacerdotium fidelium 309
Sacramenta 309
Sacrilegium 309
Salus 311
Sancti 312
Sanctitas 314
Sanitas 315
Sapientia 315
Scandalum 317
Scapulare 318
Scientia 318
Scriptura Sacra . . 318
Senectus 319
Sensualitas *vide* Mortificatio.
Sermo *vide* Praedicatio — Conversatio.
Servi 319
Silentium 320
Simonia 321
Simplicitas 321
Sobrietas 321
Societas civilis . . 321
Sicietas secreta . . 322
Socii mali *vide* Occasio.
Solitudo 322
Sollicitudo 323
Spes 323
Spiritus sanctus . 324
Status 325
Stephanus 325
Studium 325
Superbia 326
Superiores 326
Superstitio 327

T

Taciturnitas 328
Talenta 328
Temperantia 329
Templum 330
Tempus 333
Tentatio 333
Tepor 335
Timor 336
Tolerantismus . . 338
Traditio 338
Transfiguratio . . . 338
Trinitas 339
Tristitia 339

U

Unctio extrema . 341
Unio cum Deo . . 341
Usura 342
Uxores 342

V

Vanitas 343
Verbum Dei 344
Verba hominis *vide* Conversatio — Sermo.
Veritas 348
Vicinus 348
Viduitas 348
Vigilantia 349
Vindicta 350
Vir 351
Virgines 351
Virginitas 352
Virgo septem Dolorum *vide* Maria.
Virtutes 353
Visio 354
Visitatio SS. Sacramenti 354
Visitatio B. M. Virginis 354
Visitationes 355
Vita 356
Vita spiritualis . . 357
Vocatio 358
Voluntas Dei . . . 360
Voluptas 361
Votum 362
Vota religiosa . . . 362

Z

Zelus 363



